

vide de P. auct. A m i n i s t r a d e g . f r a n c e .
lib . 5 cap . 2 1 1 8 .


Inventij 2 clavis temporis . p . 22 . b . Adrianus .
Alexandri .
circa Tempus 1100 - 8 -



resp. 49714 / 1

EPISTOLA
ARNVLPHI
EPISCOPI LEXO-
VIENSIS, NVNQVAM
antehac in lucem
editæ,

Ex Bibliotheca ODONIS TURNEBI
HADRIANI F.



P A R I S I S;

Apud Ioannem Richerium, via D. Ioannis
Lateranensis, sub signo Arboris
Virescentis.

1585.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Eiam hinc

MILITARY MEDICINE



ORNATISS. VIRO
IACOBO GIL-
LOTO IN SVPREMO
SENATV PARISIENSI
Regio Consiliario

Claud. Minos S.P.D.

Go te plurimūm, ornatissi-
me GILLOTE, & tuo &
virtutis nomine, qui naturæ
quadam bonitate, parique iudicio res sci-
tu dignas, sed maximè veteres amplexa-
ris. cuius quidem rei fidem fecisti mihi
non semel, cùm vltro citróque de veterū
quibusdam monumentis domi tuæ nu-
per verba faceremus. statim enim percepī
quis tuus esst animus, quātāque rerum
meliorum cupiditas, vt eius nempe, si
benè te noui, qui non contentus vulga-
ribus,

Transuoles in medio posita, &
fugientia captes.

Tuos vero sermones non minus eruditos,
quam lepidos cum haurire audire, nescio
quo casu mihi Arnulphi Lexoniensis epi-
stolas legendas ultrò dederis, quas tibi à
Stephano Turnebo, Regio senatore, col-
lega tuo, commissas & creditas, te valde
cupere dixisti nūquam antehac in lucem
editas, aliis tamen multis nihilo inferio-
res, in publicū hominū nostrorum usum
emittere. De tua in rem publ. certè præ-
clara & egregia voluntate ne quid dicā
amplius, me partim meus pudor, alienus
ab omni assentandi studio; partim etiam
tua dignitas hoc tempore prohibet. Tur-
nebi tamen, senatoris integerrimi virtu-
tem non possum tacitus prætermittere,
qui cum innata quadam modestia & in-
nocentia insignem doctrinam coniunxe-
rit: quibus eximiis, sanèque non vulga-
ribus animi & ingenij dotibus ille, ut
propriis & hereditariis, ad exemplum
Hadriani Turnebi patris, clarissimi viri

suam in omnes fidem, studium, religionē
mirificè probat. Eum itaque auctore pa-
rum hactenus, aut nunquam cognitum,
vel tandiu sepultum, celerrimè perlegi: in
quo multa pietatis & doctrinæ vestigia,
multas sinceri & cordati animi, easque
non pœnitendas oquas animaduerti. Ni-
hil enim habeo necesse dicere de hominis
eloquentia nō mediocri (si tempora quibus
ille vixit, æstimamus) deque Romani iu-
ris peritia, cuius formulis nō raro utitur
adeò cōmodè & opportunè, ut ausim af-
seuerare eū ætate sua fuisse iuris ytrius-
que diuini & humani scientissimum. Ea
maximè causa, ut opinor, in Regum au-
lis sāpe coactus interesse, multa fidi &
yſu docti consultoris pignora suis princi-
pibus edidit. In quo id mihi mirum, quod
in Demetriadē virgine miratur Hiero-
nymus, eum quanquam aulicæ yitæ af-
suetum, sancti tamen propositi tenacissi-

mū, multos annos ita Ecclesiæ suæ præ-
fuisse, ut nesciam an ea tempora parem
episcopum habuerint. Hoc etiam miror
magis, virum ita sincerum eosculo, &
cum hominibus quibuscum vixit, incul-
tis, & pænè ab omni iustitiæ, nedum reli-
gionis cultu abhorrentibus, tam sobriè,
pureque vixisse, ut ad maiorem lauda-
tionem accedere videatur, quod Plato
dixit, eum insigniter probum censeri, qui
Athenis probus esset: ita videri Arnul-
phum in primis commendatione dignissi-
mum, qui sua ætate inculta & barbara,
multis reclamantibus, tanquam in me-
diis tenebris faculam accenderit. Et hæc
ut vera sint, non dubito tamen quin ple-
riique delicatuli mussent in duriore Ar-
nulphi, minimèque polito dicendi chara-
ctere: quibus non ero molestus, si gemmas
luto, cæno ve oblitas colligere mihi ubi-
uis annuerint, ut qui nullius seculi do-
ctrinam aspernari debeam. At ij, si quid

longa lectione consecuti sunt , facile
agnoscunt non esse teres , adeoque nume-
rosum in multis dicendi genus Hierony-
mi , Ambrosij , sanctissimorum hominū ,
ut neque Sulpicij Seueri , Sidonij Apol-
linaris , Bernardi , aliorūmque , à quibus
vt non abest elegantia omnis , sic temere
et imperite faciat qui eos violatæ Latini-
tatis arguerit . nihil enim h̄ic Latinita-
tem moramur vel Tullij , vel Cæsaris ,
quæ aliis in rebus , et alio tempore suum
precium obtinet . Et quidem , ut non om-
nis fert omnia tellus , ita verborum deli-
cias ex quolibet auctore aucupari , eius est
qui rerum nullum discriminē faciat . Sed
quid tandem ? inter veteres is auctor me-
rito numerandus , quem constat quatuor
retro seculis ante nos floruisse , ut intelli-
gamus , quamquam virtutē non solis an-
nis aestimemus , vetustatis huius aliquam
esse habendam rationem , et ut Plato in
Philæbo docuit , τοὺς παλαιὸς ἀντὶ η-

νασ ὑμῶν : quod non ita ieunè accipiendū
putamus, ut qui sine delectu omnibus af-
fensem præbēt, sed vt in Ephesiorum litt-
eris olim præcipiebatur, σωεχώς ὑπομ-
ημέσκεται τὸν παλαιόν πνὸν τὸν ἀρετῆς χρι-
στοφεννων. Sed non est mihi ocij satis vt in
Arnulphi laudes excurratam pluribus: te-
stes proferre malo epistolas, quas ex fide
manuscriptorum aliquot codicum Odo
Turnebus Hadriani F. diligenter exar-
atas, immatura morte raptus paulò
antè reliquerat: eas inquam iam ty-
pis cusas, & tuis maximè auspiciis, in
manus hominum venire iussas remitto
ad te, ornatiss. vir, quas cùm sumes in
manus, facile tibi persuaseris in iis esse
multa tum cædoris & pietatis, tum etiā
doctrinæ non obscura monumenta, quæ
oculatos, tuique imprimis similes mini-
mè unquam fugient. Vale, Lutetia, pri-
die Kalend. Maias. M. D. XXCV.

*ELENCHVS EPISTOLARVM,
Concionum, Epigrammatum ARNVL-
PHI, Lexouiensis episcopi.*

E gidio Rothomagensi Archiepiscopo.	
pagina 1.60	
Roberto Linconiensi episcopo.	2.b
Ernaldo Boneuallensi abbatii	3.b.19.b.59
Henrico Pisano, legato Rom. Ecclesiar.	5
ad G. Monialem.	6.b
ad D. Papam Hadrianum.	8.b
ad eundem.	9.10.11.55.b
Magistro Petro Heliæ.	12.b
ad D. Papam Alexandru, cùm esset cancellarius,	
12.b.21.b.39.b.41.b.44.48.b. 49.b.50.51.81.	
ad eundem, pro Ioscelo Salisberiensi episco-	
po, 88.89.94.96.98.111.b.115.117.	
Abbatii S. Ebrulfi.	13.b.15.b.109
Vvillelmo Cenomanensi episcopo.	17
Hugoni Rothomagensi.	18
Danieli Priori S. Barbaræ.	18.b
Rad. Dedieeo Lond. archidiacono.	20
rescriptum D. Papæ Alexandri.	24.b
ad episcopos Angliæ.	28
Ioan. Neapolitano, & Vvillelmo Papiensi Car-	
dinalib.	32.b
Cardinalib. Rom. Ecclesiar, de electione D. Pa-	
pæ Alexandri.	34
Gilleberto Londoniensi episcopo.	52
Abbatii Gristemensi.	53.97

Henrico Pisano Cardinali.	53.b
Ernaldo Pietauiensi archidiacono.	55
Valt. Albanensi episcopo.	56.b
Episcopo Engolismensi.	58
Ricardo de alm. præcentori Lincol.	78.b
Abbatii Cist. & fratribus eius.	79.b.110
Ricardo Pietauiensi archidiacono.	84.106
Lautentio Vvesmonasterio abbatii.	85
Ioan. & Vvillelmo cardinalib. pro Rogo Eb-	
racensi Archiepiscopo.	86
Egidio Ebroicensi electo. 93. Episcopo.	94
Bald. Nouien. Episcopo.	93.b
Monachis Bernacensisibus.	97.b
Henrico Fiscanensi Abbatii.	98.b.111
ad Legatos Alberto & Theodino.	106.113.b
Nicolao monacho de monasterio Arramato.	
106	
Bartolomeo Exoniensi episcopo.	108
Abbatii de curia Dei.	109.b
Vvillelmo de Papia Cardinal.	113
Henrico Remensi Archiepiscopo.	118
Henrico Baiocensi episcopo.	119
<i>Sermones seu conciones eiusd. Arnulphi.</i>	
Sermo habitus in concilio Turonensi.	61
Sermo in synodo.	72
<i>Epigrammata varia eiusd.</i>	
De nativitate Domini.	100.b
Henrico Vvitonien. episcopo.	101
De innouatione vernali.	101.b
De alterna temporum successione.	102
Poëta mendico.	102.b

Ad iuuenem & puellam vehemēti se effectu in-	
tuentes.	103
Ad lasciuos sodales.	103.b
In tumulum Henrici regis, in quo cor & cere-	
brum eius condita sunt.	104
Quomodo pauperi, vel diuiti dandum.	104
Tumulus Matildis Imperatricis.	104.b
De eadem.	ibid.
Sub cruce, ex crucifixi persona.	105
Ad nepotem suum.	ibid.
Epitaphium Algari Constantiensis episcopi.	
	105
Epitaphium Hugonis Rothomag. archiep.	105,

F I N I S.



R E R V M M E M O R A B I L I V M
quæ hoc libro continentur
Index.

A primam paginam: b, vero secundam denotat.

A

- A**bbas à Cultura. 98.a
Abbas Episcopo inobedientis. 117.b
Abbas incōrūnens, & sui munera immemor. 82.a
Abbas litigiosus & vagus. 13.a
Abbas nihil faciēs Episcopi motiones. 82.b
Abbas S.Ebrulfi. 117.b
Abbati crima obiecta. 11.a
Abbatis incōtinentia quibus testibus reprehensa. 11.b
Abrincensis Episcopus. 114.a
Acris reprehensio vitæ Episcoporum. 70.b
Actio iniuriarum. 58.b
Actio subsidiaria. 56.b
Accusatus Arnulphus apud Pontificem maximum. 40.b
Accusatus temerè Londoniensis Episcopus. 89.b
Adolescentis continentia. 13.a
Adolescentis regij prompta natura & sagacitas. 13.a
AEstas. 102.a
Affectata rapina. 52.b
A fidei vnitate dissidentes. 37.a
Algari Episcopi tumulus. 105.b
Ambitiosi scismatici gestus, ad cathedram currentis. 35.a
Amici fortunæ. 2.b
Amicitia tenax. 3.a
Amicitia vera solo affectu contenta. 20.b
Amicitiam obsequium parit. 1.b
Amicorum colloquia. 19.b
Amicorum mutuus affectus. 93.a
Amicorum vitia non ferens, obnoxius inuidiae. 103.b
Amicus, animæ dimidium. 20.b
Amor corporeus. 8.a
Amor incorruptus. 8.a
Amor successionis iure. 21.a
Amoris reciprocí descriptio. 105.a
Animarum cura. 53.a
Animorum affectiones plurimū auferre vel conferre corporibus. 55.a
Animo volenti nihil satis festinatur. 56.a
Annus in se regoluitur. 102.a
An prædecessor possit legem suo dicere successori. 44.b
Anus formam ornat intempestivè & frustrā. 102.b
Apostolica Cathedra non sit sine scabello. 23.a
Apostolicum nomen reverentie & terroris. 8.b
Ap. stoli, epistolæ. 12.a
Appellatio admissa. 112.b
Appellationis obstaculum. 52.b
Aqua de latere Christi fluxa. 76.a
Arguitur Abbatis à suo monasterio absentia. 97.a
Arguitur ingratitudinis Abbas S.Ebrulfi. 14.a
Arnulphus Angliae Regi additissimus. 33.a
Arnulphus laborans tertiana, 5.a

I N D E X.

Arnulphi merita in Ecclesiam.

116.a

Arnulphus poetice primum stu-
duit. 105.a

Arnulphus primum Archidiaco-
nus Ecclesie Sagiensis. 43.a

Aſcenſis in ruinam. 35.b

Auctoris animus attendēdus, nō
apices verborum. 45.a

Autumnus. 101.b. & 102.a

B.

Benefaciendum iis qui eieſti
à ſuis Eccleſiis oberrare
coguntur. 71.a

Beneficentia nunquam feneſicit.
113.a

Beneficiis odia conquiescant.
79.a

Beneficiorum memor acceptorū.
113.a

Beneficium digno impensum.
85.b

Beneficium non simplex. 85.a

Bona Eccleſia ſunt bona paupe-
rum. 70.b

Brutus brutum legit. 34.b

C.

CAllidus actor. 113.b

Calumnia in monachum.
16.a

Canonice regulares. 83.b

Canonum ignarus Episcopus
34.b

Canorus adoleſcens in Eccleſia.
108.a

Catholica Eccleſia. 72.a

Cauendi qui feſimatico iuncti.
32.a

Cauſa vnius, multoru pernicioſes.
96.b

Certamen Pauli. 69.a

Christiana Eccleſia. 72.a

Christus ad dexteram Dei. 75.b

Christus mundū vicit quē crea-
uerat. 68.b

Christus nūquam defert Eccle-
ſiam. 68.a

Citatur Abbas ad Episcopum.
15.b

Collectæ. 93.b

Collegium Cardinalium. 36.b

Commendatitia Pictauiensis Ar-
chidiacom. 48.b

Comendatoria adolescētis, cuius
erratis ignoscendum arguit.
12.b

Commendatrix epiftola. 78.b

Communicatio Sacramēti. 59.b

Communis cauſa p̄aponderat
prinzipia. 9.a

Corona nulla sine victoria. 69.b

Conciliat Mēſchinum Ernaldū.
55.a

Condicitur Abbas ad Episcopā-
lem cōuenientum. 109.b

Confirmatio Eccleſię Romana. 44.b

Confirmatio ſummorum Pontifi-
cum. 41.b

Conſcientię teſtimonium. 100.a

Consolatio ad Ernaldum. 4.a

Contemptum Apoſtolicæ fedis
ob impunitatem. 8.b.

Contentio de Archipresbyteri
elecione. 49.a

Contractus non de iure. 58.a

Controuerſia de poſſeſſione Ec-
cleſia. 112.a

Concupaces puniendi. 90.a

Conuietus fidelium cum iafide-
libus. 87.a

Corporalis p̄aſtentia vbi non
exigitur. 106.a

Cur suas edi ſit epiftolas paſſus
Arnulphus. 1.a

D.

Damnati feſimatici ab Ec-
cleſia Romana. 34.a

Damnatus innocens Epि-
ſcopus. 90.b

I N D E X.

D ebitoris inopia excludit actio-		natum putamus.	85.b
nē.	107.b	Duobus modis bene de defuncto	
D elatorum artes quibus apud		mereri.	21.a
Pontificem detrahunt ab-		Duplex culpa non tam facile ve-	
sentibus.	51.a	niam meretur.	54.b
D e monachis in regulares Ca-		Duplicatus amor.	21.a
nonicos transformandis.			
83.b		E.	
D epravati iudicij est omnia me-		E cclēsia à dextris Christi.	
tiri affectibus.	1.b	75.b	
D e quodam electo Episcopo nō		Ecclesia Baiocensis petit sibi	
ritē, neque decenter.	18.a	suum Episcopum reddi.	
D espensa fratri Arnulphi facia-		9.b	
monialis.	7.a	E cclēsia commissa Episcopis.	
D e stirpe maledictionis non po-		77.a	
test benedictio propagari.	35.b	E cclēsia congregatio fidelium.	
Detrimenta præsentium, sunt in-		72.a	
dicia futurorum.	37.b	E cclēsia cunctis dominata Prin-	
D eus à d'eo.	66.b	cipibus.	36.a
D eus & homo, Christus.	100.b	E cclēsia debet esse severa.	46.b
D eus exactor quo modo.	65.b	E cclēsia de Bruslom.	98.a
D eus homo factus.	100.b	E cclēsia, dilecta 74.a. sponsa 74.	
D eus in carne.	100.b	b. regina 75.a. regina cælo-	
D ies conditūs ab benedictionē		rūm.	76.b
Abbatis electi.	98.a	E cclēsia olim terribilis Principi-	
D ifficile est in aula versari pie.	79.b	bū.	46.b
D igitus Dei.	37.a	E cclēsia Rōmana de Teutonicis	
D ignitati sacrificij personarum		triumphauit.	31.a
obstistit indignitas.	54.a	E cclēsia S. Victoris Parisiensis.	
D ignitatis Regie & Ecclesiasti-		42.a	
cæ conscientia & discrimen.	96.b	E cclēsia victrix.	28.a
D iplomata Pōtificis pro Sagīē-		E cclēsia concordia.	37.a
si Ecclesia.	44.b	E cclēsia dotes.	72.b. E cclēsia li-
D issimulatio Episcopi.	91.b	bertas.	63.a
D issimulatio ne præstet audaciā		E cclēsia multa nomina.	73.a
prauitati.	32.b	E cclēsia Romana addictissimus	
D issimulator amicus quatenus.		Arnulphus.	32.b
103.b	E cclēsia Romana auctoritas.		
D . Agathesagon.	70.a	91.a	
D ivisiones gratiarum.	65.a	E cclēsia Sagiensis laudatio.	42.a
D iuitiarum non indigentia, sed		E cclēsia vnitas.	63.a
conemptus requiritur.	70.b	E cclēsiam vexari patitur Deus,	
D . Laurentij craticula.	70.a	cur.	21.b
D . Vincentij martyrum.	70.a	E jus est incommodum, cuius cō-	
Donatum amico, nobis etiā do-		modum.	14.a
		E lecta, Ecclesia dicitur.	73.a
		E lectio facta à monachis appro-	

I N D E X.

batur.	97.b	Filius sacerdotis.	114.a
Electio scismatici, est execratio.		Frater, animæ dimidium.	6.b
55.b		Frater Arnulphi decessit, parta	
Electus ab Hostiensi Episcopo		sibi sponsa.	7.a
consecratus.	29.b	Fraternitates.	93.b
Ennodi liber, qualis.	53.b	Frequenter Regiae aderat Arnul-	
Episcopi genus dicēdi non affe-		pius.	79.b
ctatum.	2.a	Fridericus Imperator Ecclesiaz	
Episcopi, Principes.	65.a	Romanae hostis.	26.a
Episcopi quatenus tenebatur Re-		Fuga clandestina sacerdotū quo-	
gia maiestati.	66.a	rundam.	94.a
Episcopi Sagiensis cura impen-			
sa Ecclesiaz.	41.b	G.	
Episcopi Sagiensis laus in Eccle-		Allicana incontinentia.	
sia sua locupletanda.	44.a	Gaufridus Antissiodorius.	
Episcopi, successores Apostoloro-		13.a	
rum.	65.a	Gaufridus Antissiodorius.	
Episcoporum officium & onus,		95.a	
64.b		Genere & moribus nobilis.	
Epistola præsentia personæ sup-		118.a	
plet.	53.b	Gristani monasterij summa dis-	
Equi duo donati Arnulpho, ab		solutio.	81.a
eodem laudati impensisimè.		Gula addictus Episcopus.	34.b
84.b			
Erranti medicina, confessio.		H.	
119.b		AEreses cur excitantur.	
Ermaldi Boneuallensis facundia.		H.	
3.b		25.a	
Excommunicat Papa Imperato-		Hæretica pravitas detesta-	
rem.	27.b	ta.	37.b
Excurrit festiuè in equi donatio-		Hæretici Ecclesiam impugnat.	
nem.	99.a	28.a	
		Hæreticus deiectus ab Innocen-	
F.		tio Papa.	22.a
Acile est animos occupare		Henricus Anglia R. x.	25.b
vacantes.	23.b	Henrici Anglorum Regis Epita-	
Fautor scismatici, cōsanguini-		phum.	104.a
nitatis gratiā.	34.b	Henricus Sylvanectensis Episco-	
Favor religionis.	42.b	pus.	94.b
Fidei conseruatio, quibus ani-		Hominibus placentes.	47.a
marum cura commissa.	14.b	Honestas & æquitas supplicem	
Fidei virtus.	71.a	comendant.	49.a
Fidei unitas.	67.a	Honores mutant mores.	2.b
Fidelis, fides.	14.a	Honor inianis.	104.a
Fideles, qui.	72.a	Honos Episcopis deditus.	64.b
Fides procuratoris.	77.a	Hostes Ecclesiaz Romanae.	29.b
Filius Dei, imago patris.	100.b	Hugonis Rothomagensis Archi-	
		episcopi tumulus.	105.b

I N D E X.

Hugo S. Vincentij Sylvanestren-		da.	44.b.
<i> </i> is Abbas.	94.b.	Institutio Canonicorum regula-	
Humani fauores.	46.b.	rium	41.b.
Hyems.	102.a.	Interfector monachus.	81.b
I		Intonsi per vim ad Ecclesiasticas	
Dem aſtor & iudex.	89.b	functions.	77.b.
Iesu Christi nomen & cogno-		Inuasor bonorum Ecclesiaz, Im-	
men.	66.a.	perator.	26.b.
Ignoscendum benē merito, si ali-		Inuestire par annulum.	27.b.
cubi lapsus est.	107.b.	Inuidi securius detrahunt alic-	
Imitari opera Christi.	69.a.	nis scriptis, cur.	1.b.
Imperator non fauebat Alexan-		In unitate Ecclesiaz manendum.	
dro Pontifici.	24.a.	67.a.	
Imperitis nihil committendum.		Italica modestia.	13.a.
77.a.		Iterū damnatus Episcopus.	91.a.
Impetu factum, non charitate		Iudex quando mitior esse de-	
90.a.		beat.	46.a.
Improbi non ferunt bonum E-		Instrumentum corporale.	42.b.
piscopum.	9.b.	Jussus à Romano Pontifice ser-	
Inanis omnis affectio, niſi Deo		monē habuit Arnulphus	61.a.
duce.	7.a.	L	
In commune collatę obuentio-		Aicus in presbyterum testis	
nes.	42.b.	non auditur	11.b
Indoles præclara.	13.b	Lateranense Palatiū.	22.b.
In fauorem concessum, non de-		Laudatio Cardinalium.	37.a
bet retorqueri in detrimen-		Laudatio Episcopi Bajocensis.	
tam.	77.b.	9.b.	
Infirmitas humana Deo cogita-		Laudatio Innocentij Pontificis	
70.a.		maximi.	22.b.
Iniuria facta Episcopo redundat		Laus Archidiaconi Picauiensis.	
in vniuersam Ecclesiam	88.a.	49.a.	
In inquisitione sunt rei præsen-		Laus Eboracensis Episcopi.	86.b.
tes.	16.a.	Legati sedis Apoſtolicæ.	38.a.
Inobedientia & ambitio, crimen.		Legitima electio.	28.b.
18.b.		Leuior primū adhibenda cor-	
Innocens qui censendus.	16.b.	rectio.	89.b.
Innocentia Episcopi	91.b.	Lexouiensis præuincia plena	
Innumerabilia monasteria tem-		monasterijs	83.b.
poribus Arnulphi.	22.b.	Libera persona non obligatur	
Inobedientia crimen in religio-		niſi ſponte	58.a.
fo.	16.b.	Liber diu quaſi ſepultus.	54.b.
Inopia probationum.	107.a.	Libertas elec̄ionum.	7.b.
In quorum gratiam, & ad quid		Liceat diuitias poſſidere quate-	
impendenda Ecclesiaz bona.		nus.	70.b.
70.b.		Lis inter Abbatem & monachos	
Instituta Patrum non conuelle-		Gemmeticanos.	11.a
		Litteræ	

I N D E X.

Litteræ falsi suspectæ	106.a.	Monachorum Griftanæsium per-
Litteræ supplices pro amico,		diti mores. 97.a.
præcitoria dignitate ob cau-		Monachorum rixas Abbas non
sam priuato	50.a.	sustinet 82.b.
Litigij quies	114.a.	Monachorum peccandi libertas. 82.a.
Locorum occasio	93.b.	Monachorum rapacitas & usur-
Locus Mortui-maris	80.a.	patio. 117.a.
Londoniensis Episcopi laus sum-		Monachus non admissus ab Ab-
ma.	89.b.	bate S. Ebrulfi. 15.b.
Lux vera.	73.b.	Monasterij misera facies. 11.a.

M.

Agnificantia Episcoporū.	
Malæ fidei possessor. 52.b	
Malefica supersticio monacho-	
rum. 81.b.	
Malè sibi conscius non sustinet	
viri boni præsentiam. 107.a.	
Matildis epitaphium. 104.b.	
Medicamenta mali aliquid ad-	
mistum habent. 5.a.	
Medici imperitia culpe adscri-	
bitur ægri. 5.b.	
Medicorum fastus & arrogantia.	
5.b.	
Medicorū paulò acris reprehē-	
sio. 5.b.	
Memoriam suę nominis offerri	
vult Deus pro retributione.	
66.a.	

Meritum præuenire animi ma-	
gnitudine. 57.a.	
Minatur suspensionem ab altari	
Abbatii. 15.a.	
Modica coercitio. 107.b.	
Molestè ferens se postponi alij	
dignitate Cancellarie. 34.b.	
Monachi conquesti de suo de-	
mendo vel præbenda. 11.a.	
Monachi criminosi cædes 81.b.	
Monachi se ab Episcopi obedien-	
tia substrahentes. 117.a.	
Monachi si quid peccent, in Ab-	
batem conferendum. 14.b.	
Monachorum defectio à prima	
regula. 11.a.	

Monachorum Griftanæsium per-	
diti mores. 97.a.	
Monachorum rixas Abbas non	
sustinet 82.b.	
Monachorum peccandi libertas. 82.a.	
Monachorum rapacitas & usur-	
patio. 117.a.	
Monachus non admissus ab Ab-	
bate S. Ebrulfi. 15.b.	
Monasterij misera facies. 11.a.	
Monasterio pulsi monachi par-	
ricidæ. 83.a.	
Mora in grauioribus negotijs.	
32.a.	
Morbi reliquiae. 5.a.	
Morbus recidivus ut præcauen-	
dus. 5.a.	
Multa facta permittuntur, quæ	
non facta minimè permittere-	
tur. 45.b.	
Multitudo nominum ad virtutū	
multitudinem 73.a.	
Mundus viatus 68.b.	
Munera diuitibus data. 104.b.	
Murmur monachorum solenne.	
82.a.	
Muse sint gratuitæ, non peta-	
ces. 102.b.	
Mysterium redemptionis. 76.a.	

N.

Necessitas quæ vitari non	
potest, excusat. 19.b.	
Negantis nulla probatio.	
78.a.	
Negasse satius fuit, quam dona-	
re quod nocuit. 99.b.	
Nepos Arnulphi, poeta. 105.a.	
Nihil agendum religionis præju-	
dicio. 45.a.	
Nimia humilitas. 18.b.	
Nimium feuerus Episcopus. 88.	
b.	
Nō beneficiū, sed mutuum. 57.a.	
Non facta, sed voluntas inspi-	
cienda. 55.a.	

I N D E X.

Non impediendi qui ad maio-	103.b.
rem perfectionem adspirant.	
45.b.	
Non probatio, sed præsumptio.	
12.a.	
Non puniri sed laudari dignus.	
92.a.	
Non soluitur vniuersitas obliga-	
tione, vel reatu, vel depositio-	
ne Abbatis.	14.b.
Non sunt vitia rei donatæ ape-	
rienda.	99.b.
Non tollendum maius bonum	
occasione minoris boni	45.b.
Nulla redhibitio rei donatæ.	
100.a.	
O.	
O bscura quibusdam placet.	
54.b.	
Obscuritas fugienda.	54.b.
Obstinata protervia.	83.b.
Ociosus amor esse non debet.	3.a.
Occurrentia sceleribus.	8.b.
Odii provocantur iniuriis.	16.b.
Officiorum communicatio.	93.b.
Officium liberale amicitiam	
creat.	79.a.
Omnia in perpetua varietate, fo-	
lus Deus constans.	102.b.
Operibus credendum.	79.a.
Orandum pro iis qui Ecclesiam	
oppugnant.	64.a.
Oratio sit perspicua.	60.b.
Ordinatio sine Episcopi dimissio-	
riis.	108.a.
P.	
P acis Ecclesiæ studiosus Ar-	
nulphus.	115.b.
Palex de area Domini auo-	
lantes.	63.b.
Papiense Conciliabulum.	31.a.
Papiense conuenticulum.	53.b.
Parisius studiorum causa.	20.a.
Pars vitij est dissimulare vitium.	
Perditorum segregatio nume-	
rum non minuit electorum.	36.b.
Per Ecclesiam scena quasi thea-	
tralis.	35.b.
Petit equum sibi donari.	99.a.
Petri & Andreæ crucis.	70.a.
Petri vicarius, vniuersalis Epi-	
scopus.	23.b.
Philippus de Chaumont vult in	
gratiam redire Archiepiscopi	
Remensis.	118.b.
Plagium clerici.	58.a.
Pluuiiale.	35.a.
Pœna vnius, multorum gratia.	
90.a.	
Poeta indigens.	102.b.
Pollicetur Rex Henricus se stan-	
dum pro Alexandro Papa.	24.
a.	
Pontifex Romanus, Alexander.	
33.a.	
Pontificis maximi facilitas.	10.a.
Pontificis Romani sententia la-	
ta pro Episcopo Londoniensi.	
91.b.	
Potestas secularis subest Eccle-	
sia.	68.a.
Prædecessorum errores quando	
corrigendi.	45.a.
Prædictoris virtutes tres	61.b.
sanctitas concionatoris, ead.	
pag. scientia eiusdem, & elo-	
quentia.	62.a.
Præmunitio ad Papam, ne au-	
diat eos qui ex regularibus be-	
neficiis conantur secularia fa-	
cere.	43.b.
Prærogativa dignitatis.	65.a.
Presbyteratus ius ab Abbatे im-	
minutum.	98.b.
Princeps, fautor scismatici Epi-	
scopi.	37.a.
Principali obligatione sublata,	
non valet accessoria.	58.b.
Priores epistolæ Arnulphi præ-	
termis cur.	2.a.

I N D E X.

Priori religionis standum voto	
110.b.	
Priuilegia Pontificum ut quædā testamenta	45.a.
Priuilegium ab Ecclesia.	68.a.
Priuilegium gratiæ.	65.a.
Priuilegium subreptum.	118.a.
Prodigi dispensationum.	46.a.
Pronuntiationis fauor	60.a.
Pronuntiationis ratio.	60.b.
Pro thesaurario Rothomagensi.	
17.a.	
Prouocatio ad Pontificem.	55.b.
Publicè notum commendatione non egerit.	89.a.
Puer clero, nomine pignoris obligatus.	58.a.
Pulcher animus in vegeto corpore.	101.a.
Pulchritudo Ecclesie.	72.b.
Puniendi excessus illiciti.	46.a.

Q.

Q Væ scripta potissimum legenda.	62.b.
Qæstum in vitam & mores monachi.	16.a.
Querela de mortuo fratre Arnulphi.	6.b.
Queritur de nuncio ad se missio, nulla morum grauitate, superbo, & audaci.	97.b.
Queritur statum Ecclesiæ regulis immutari permisum à Pontifice Romano.	47.b.
Questus Anglorum Rex de Pontifice Romano.	51.a.
Qui anteuerit vocacionem, & qui recusat, in pari culpa est	23.a.
Quid est quantum dandum egeno.	104.a.
Quid ijs accidat qui fauores manus affectant.	47.a.
Qui offerunt pro alijs, pro se etiam offerunt.	59.a.
Qui petit, molestus,	102.b.

Qui sponsum Christum confiteratur, idem debet Ecclesiam sponsam confiteri.	68.a.
Quod fit in commodum cuiusdam, non cedat in alterius damnum.	17.b.
Quod initio non valuit, ex postfacto non conualescit.	31.a.

R.

R Agialdus Archidiaconus.	
Rebus iudicatis standum.	
Regi à consiliis Arnulphus.	40.
Regia maiestatis auctoritas in quibus sita.	75.a.
Regis liberalitas in Arnulphum.	6.a.
Regis non est aliquid de elecio ne statuere, inconsulta Ecclesia.	31.b.
Regnum mundi, satanæ, cælorum	
Regularia regularibus.	78.b.
Regum Christianorum deuotio & cum Ecclesia consensus.	
Reis pœna, læsis remedium.	78.a.
Religiose instituta non perirent morte personarum quæ institerunt.	45.a.
Repentinus emptores sepe circumuenit astutus venditor.	
Restitutus Ecclesiæ suæ Cantuariensis Episcopus.	96.a.
Rex Anglorum legatis summi Pontificis reconciliatus.	115
Rex Catholicus.	31.b.
Rex Francorum legatis summi Pontificis infensus.	38.a.
Rex Francorum Regis Angliae consilium petit de Romanæ Ecclesiæ negotio.	39.a.
Rex renuit epistolas legere scif-	

I N D E X.

matici,

32.a.

i.hæreticos. 33.2
Spiritus sancti , donum lingua

4.a.

Sponsalia Ecclesiæ. 74.b.

Stilus humilis Arnulphi 1.b.

Studioſi ſtulum exerceant. 21.a.

Studioſus Ecclesiæ Romanæ Ar-
nulphus, 38.a,b,39.b,& 52.aSuasio quorundam aulicorum in
Romanaam Eccleſiam 38.b.Successor Episcopus alius ab eo
qui antecellit. 41.b.Summa libri Ennodij, & eius er-
rata. 54.a.Suspicio ad ſinifram partem. 51.
b.

T

T Emeritas & impudentia e-
lecti per vim Episcopi.
29.a.Temporis assignati breuitas 113.
b.

Temporum vicissitudo. 102.a.

Tertius Ecclesiæ status. 76.b.

Testes concordes 95.a.

Testes singulares. 11.b.

Testium numerus & veritas. 52.
b.

Testium refutatio. 95.2.

Timor Dei. 66.b.

Thomas Cantuariensis Archie-
piscopus. 116.b.

Thronus Altissimi. 73.a.

Thronus in nube. 73.a.

Translatiōni ſtandum. 111.a.

Transit obligatio ab Abbatē in
Abbate. 13.b.Tres dā Ecclesia seducti elegerūt
ſcismaticum. 34.a.Tribulationum & consolationū
participes. 65.b.Triplex Ecclesiæ status. 75.b.
primus. ead.pag.

Triumphus Ecclesiæ. 34.a.

Tyranni direptores Ecclesiæ 63.
b.**S** Acerdotes medijs inter Deū
& populum constituti. 65.
a.Sacerdotes ſtudia ſuo digna pro-
poſito ſe qui debent. 106.a.Sacra vnitio Episcoporum. 64.
b.

Sacrificium medullatum. 59.a.

Salua gloria testimonium con-
ſcientiæ. 33.b.Saluamur in fide passionis, &
ablutione baptismatis 76.a.Sapientem fallere non tutum. 13.
b.

Scismata Ecclesiæ Romanæ 22.b

Scismatum Episcopatu deie-
ctum, & damnatum gaudet.
36.b.

Scismaticus. 25.a.

Scismaticus Pontifex factus. 27.
a.Scripta omnium ſubiecta iudi-
cūs. 60.b.Seculari personæ attributus Ar-
chidiaconatus regularis. 48.7.

Secularis aſtrua. 38.b.

Secundus Ecclesiæ status. 76.a.

Segregari monachi conſortio
improbi. 83.a.

Semina rerum. 102.a.

Seniles epiftolæ excufantur. 2.a.

Sententiæ & verba concionato-
ris. 62.a.Sermo in Turonensi Concilio.
60.a.Si Ecclesia una non eit, nulla eft
63.a.

Simoniaca prauitas. 36.a.

Simpli delatione nemo con-
demnandus 16.b.Siscannensis dominus occupa-
tor bonorum quorundā Ec-
clesiæ Lexouienſis. 18.a.

Sola Gallia monſtra non aliuit;

I N D E X.

V

V AE soli.	67.b.	lorum.	69.b.
Valentudo nō est laboribus infestanda.	84.a.	viatoria non est sine pugna.	47.a
Vbi amor, ibi vita.	103.a.	Videmus per speculum.	73.b
Velle non habet monachus	19.a.	Violenta electio.	28.b.
Ver. 102. a. ipsius descriptio.		Violenta possessio neminem i-	
101.b.		stificat.	29.a
Vera amicitia locis non sciungi- tur.	2.b.	Vindicē.	95.b
Vera fraternitas.	6.b.	Vnitas fidei.	37.b
Verba Christi ad doctrinam, ope- ra ad vitam.	69.a	Vniuersitas fideliū, Ecclesia.	66.
Verbum, caro factum.	100.b	b	
Verē beneficium	57.a.	Virgo mater.	100.b. incorrupta.
Veri amici condolēt amicis	4.b	ead.pag.	
Veteris & noui testamenti my- sterium.	66.a	Viris bonis iniuidetur.	10.a
Veterum institutiones sacrē non sunt in deterius mutandę.	45. b.	Vir sanguinis appetens.	90.a.
Victoria Martyrum & Aposto-		Virtus & virtutē non conueniūt.	
		103.b.	
		Virtutum congeries.	101.a.
		Voluntarium non est, quod co- gitur	30.b.
		Votum Arnulphi de sua Eccle- sia.	116.a.
		Vsurę remissę.	14.a.

I N D I C I S F I N I S.







EX CHRONICO SIGE-
BERTI GEMBLACENSIS,
ad annum D. 1181.

ARnulphus Lexouiensis episco-
pus, cūm per 40. annos eandem
ecclesiam rexisset, & in ædifi-
cando ecclesiam, & pulcherrimas domos
elaborasset, renunciauit episcopatui, &
perrexit Parisios, suos dies dimidiaturus
apud sanctū Victorem, in domibus pul-
cherrimis, quas ibi ad opus suum constru-
xerat.









EPISTOLÆ
ARNVLPHI
EPISCOPI
LEXOVIENSIS.

*Arnulphus Dei gratia Lexouiensis Ec-
clesiae humilis minister dilecto suo
Egidio Rothomagensi Ar-
chiepiscopo, Salutem.*

PI S T O L A S quæ ali-
quando diuersis à me sunt
destinatæ personis in li-
bellum redigi, tuóque de-
siderio postulas exhiberi:
Adquieuissem libentius,
si scirem quòd eas esse quasi furtuum ali-
quid habiturus, quia in lucem prodire pro-
priæ imperfectionis conscientia non præ-

A

ARNVLPHI EPISCOPI

sumunt. Timco enim si publicis exponentur aspectibus, ne lectorem ieiunæ macies orationis offendat, mihique ad iactantiam reputetur editio, quam tamen non fastus ostentationis elicuit, sed instantia tuæ charitatis extorsit. Decreueram eas futuris nō reseruare temporibus, sed omni protinus abdicare memoria, quia non satis de cultu sermonis, vel sententiarum peritia confidebam. Mallem siquidē eas tenebris damnasse perennibus, quām ridendi materiam inuidiæ præstissem, quæ eo securius aliena subsannat, quia sua simili periculo non exponit. Non enim cæteri nos vel nostra tuis oculis intuentur, à quo si quid in nobis bonum est, magnificatur attentius & imperfectioni vénia facilis indulgetur. Animi siquidem eorum quos odij sibi vel inuidiæ vendicauit affectio, sicut benignitatem indulgentiæ nesciunt, sic rationis iudicium non attingunt, sed omnia metiuntur affectibus, nihil sua meritorum æstimatione taxantes. Ego itaque voluntati tuæ deesse non audeo, ne fortè verecundiam negligentiam putas, quia sicut alternis amicitia conualescit obsequiis, sic alterutrius incutria procedēte laxatur. Summo itaque stu-

dio congregaui quas potui, quia nulla eas-
rum apud me exemplaria residebant, sed
ab his à quibus aliquo casu feruatae fuerāt,
velut emendicatas accepi. Et antiquiores
quidem studia scilicet melioris ætatis elab-
psæ sunt, quæ recentius exercitia scholaria
redolebant, quia ibi & sententiæ prōptiore
tractabantur ingenio, & usus accurati ser-
monis copiā ministrabat. Tunc enim læta
festiuo quodam schemate decurrebat ora-
tio, cùm ingenio doctrina concurrens rerū
inuentiones commoda fœcundi sermonis
elocutione formabat. Quæ verò nouissi-
mè scripta sunt, quendam trahūt de præsentī
senectute defedūt, quia prouectior ætas
memoria iam segniore torpescit, & occu-
pationes necessaria studiis spatio nō indul-
gent: quoniam instantia Pontificalis offi-
cij non tam figuris elocutionum, quā saluti
prospicit animarum. Veruntamen si quan-
doque me vel reuerentia personæ, vel ne-
gotij quātitas protrahit ad scribendū, om-
nia mihi cum difficultate proueniūt, cùm
& hebetiorem senectus reddat, & insolentia
tardiorem. Mitto itaque quod postulā-
ti negare non audeo, sciāsque nō exhibeti
iudici, sed amico, apud quem gratia potitus

A R N V L P H I E P I S C O P I
patrocinetur ad veniam, quam exactio po-
nitia reducat ad formam.

*Ad ROBERTVM Linconiensem
Episcopum.*

I T E R A S vestrę dilectionis ac-
cepi, quas tanta charitate com-
plexus sum, quāta tanti viri gra-
tiam decuit gratulatione com-
plecti. Timueram sanè ne memoriam mei
apud vos diuturnitas temporis, vel distan-
tia regionū, vel ipsa nouissimè vestrę pro-
motio deleuisset, quoniam nouæ dignita-
tes veteris solēt amicitias immutare. Creat
enim cor nouum & nouos affectus, nouæ
conscientia dignitatis: diuitésque facti pau-
pertatis amicos, cum ipsa paupertate fasti-
diunt, ne quid penes eos de veteri videat-
ur inopia resedisse. Solos autem venerant-
tur & diligunt quos fortuna conducit, so-
lisque gaudent sublimibus inhærere, ne
maiestas dignitatis inferiorum frequentia,
vel humili medioctium grauetur accessu.
At verò constantia vestrę veterem ami-
cum recenti memoria continens, absen-
tem præsenti charitate complectitur, ipsi

*honores, nuntiavit
mores.*

sumque spiritualibus oculis frequētiūs in-
 tuens, Episcopalis nūc fastigi⁹ diuitias, gra-
 tiā & obsequium non minus liberaliter
 offert, quām mediocres olim primitias iu-
 uentutis. Retinendos creditis quos ad di-
 ligendūm liberalis inuitauit affectio, quos
 fidei veritas, non dolus cupiditatis illexit,
 qui fidi personæ comites, nō fortunæ om-
 nes vobis compartientur euentus. Et ego
 quidem quantū ad me spectat, quem eius-
 dem ordinis & similis, licet non tantæ di-
 gnitatis gratia sublimauit, hanc in vobis
 virtutē longanimitatis admiror, quæ scili-
 et ibi tāto admirabilior est, vbi minorib⁹
 eundē exhibetis affectum. Viuebat autē
 vobis nihilominus apud me vetus, sed nō
 inueterata dilectio, quæ licet ab adolescē-
 tia prima processerit, nullam adhuc potuit
 incurrere senectutē, sed me ad omnia quæ
 vobis placita forent paratum tota deuotio-
 ne seruabat. Quia igitur ociosus amor esse
 non debet, sed alternis inuicem pascitur, &
 reuirescit obsequiis, id interim à dilectio-
 ne vestra petendum censui, ut ducem no-
 strum, cui ius successionis hæreditariæ, re-
 gni vestri gubernacula debet, quantum ho-
 nestate vestra poteritis, diligatis, mihi que,

A iii

Henric⁹ Tunc Norm⁹
 postea Reg⁹ Anglie
 ex foliis vī contulit
 Dicit Stephanus R.
 Nutb. lib. 1. c. 30.

A R N V L P H I E P I S C O P I
cūm occasio suggesserit, quod placuerit in-
iungatis, vt mutuæ dilectionis affectus mu-
tua semper operis exhibitione concrescat.
Vale.

Ad Ermaldum Boneuallensem Abbatem.

Venerabilis frater & amicus no-
ster Philippus Abbas infirmi-
tatem vestram, cum magna no-
bis amaritudine nunciauit, af-
fectū animi lachrymarū testimonio prose-
cutus. Quod verbū primo statim auditu tā-
tò nobis acerbiùs extitit, quātò proximè de
vestra fueramus præsentia gratulati. Cœ-
perunt igitur occurrere mihi quæ de vestra
dilectione iocunda prouenerant, & si quid
simile in futurum sperabatur, sempérque
discurrens inter vtrumque consideratio-
vim mœroris augebat. Occurrebat mihi
siquidem charitatis vestræ sanctum illud
dulcéque colloquium, quo præualetis au-
ditorum mentes rerum erudire solertia, &
aures iocūdi sermonis suavitate mulcere,
Recordabar quantam vobis scribēdi gra-
tiam bonitas diuina contulerat, in qua ne-
scio an magis quis sententiarum fructum,
an dicēdi peritiam debeat ammirari. Hæc

enim apud vos tanta sibi inuicem paritate respondent, ut neque rerum maiestas verborum coartari videatur angustiis, nec sermonis dignitas aliqua sententiarum excellentia prægrauiari, in his sanè quæ vel intellectus cōcipere, vel humana facundia sufficit explanare. Palam est de illius hoc processisse doctrina, cuius spiritus familiarium mentes & linguas tam noticia veritatis, quam affluentia sermonis illustrat. Denique dolor in miserationem conuersus est, dum incommoda vestra laborésque contemplor, quibus innocentiam vestram sollicitudo domestica, & persecutoris immanitas incessanter affligunt. Sed & de proximo sperata tranquillitas, quasi de manibus videbatur erepta, ut omnem vobis de præsenti crederetur fortuna requiem inuidisse. Potiorem tamen requiem, sicut præsumitur vobis, resolutio cōculisset, quia regem in decore suo viderent oculi vestri, ut adimpleret vos lætitia cum vultu suo, quæ propter se tot ad præsens tribulationibus passus est infestari. Nobis autem iocūdum est vestra vel ad modicum tēpus frui præsentia, vestro recreari colloquio, vestro cōfilio releuari, quoniam vestra si dilata est

ARNVLPHI EPISCOPI

vobis retributio, non aufertur, sed deposita
vobis est in tuto corona iustitiae, deposi-
tumque fidele quod suum est, suo tempo-
re qui commisit, agnoscat. Dum igitur his
super statu vestro considerationibus mea
mens compassionē debita raptaretur, subi-
etus tanquam ex insperato morbus obre-
psit, ut facile credi posset vestræ partem
infirmitatis in me cōpassionis affectio trās-
fudisse. Hæc tamen est priuata passione
sublata compassio, sed vtrique prospiciens
animus duplici cœpit statim incommodo
laborare. Visitauit igitur vtrumque miser-
eors & miserator Dominus, & vtrique ea
ratione beneficium sanitatis indulxit, quia
alter sine altero perfectè sanari mīnimē po-
tuisset. Vobis ergo seruatus sum, vestra mi-
hi nihilominus sapientia reseruata, ut secū-
dum legem Christi alter alterius onera in-
uicem supportemus, & secundum exube-
rantem charitatem alter alterius se totum
gaudeat vtilitatibus impendisse.

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 5
Ad Henricum Pisanum Legatum
Rom. Ecclesiæ.



Ost discessum vestrum importunū tertianæ quater passus accessum, tandem ad medicinæ remedium salutare cōfugi, quod tamē paulò minus mihi molestum extitit, quā caloris intemperantia quæ præcessit. Habent enim medicinæ remedia nescio quid abominandæ malignitatis admixtum, & ne gratis conferant omne beneficium, semper adiūto maleficio recōpensant, ut etiam cū profuerint, indignius vlciscantur. Conualui tamē, & per gratiam Dei & merita vestra, iocūda mihi spes optatæ sanitatis arridet, portumque salutis nostra creditur anchora continere. Aliquæ tamen adhuc præteritæ passionis inhæfere reliquiæ, macies, & ægritudinis cognata debilitas, delicatus appetitus, cuius fastidio nulla copia, nulla satisfacere potest industria ministrorum. Ad recidiuam medicus paratam dicit esse materiam, ideoque studium subtilioris obseruantia scrupulosus imponit, ruptisque labiis & lingua palpitante tanta potum tri-

*Ar. laborans for
tiana.*

ARNVLPHI EPISCOPI

buit parcitate, ut sitim poti' irritare, quam
compescere velle credatur. Illud enim ho-
minum genus quadam austernitate semper
notabile arti suæ reuerentiam, sola seueri-
tatis exhibitione conquirit, & quasi de be-
nignitate vilesceret, infamat omnia quæ-
cunque miser patientis appetitus exposcit.
Vtinā quod ad victualia pertinet idem no-
bis usus & abstinentia præberetur, ut suspi-
tionem communicatio tolleret, & fidem
pietas compassionis augeret. Ad hæc defe-
ctum imperitiæ suæ culpæ semper ægrotā-
tis ascribunt, ut æger & inedia pereat, &
calumniæ contumelia crucietur. Denique
ad mercedis augmentum sententiosis ser-
monibus incidentes, gratiam sibi miseri-
cordiæ diuinæ præcipiunt, ut quod miser-
ratio diuina contulit, de eorum videatur di-
ligentia prouenisse. Hæc ad præsens apud
celstitudinem vestram incommoda nos ex-
cusent, quia si personam corporalis impo-
tentia detinet, maiestati tamen vestræ de-
uotio charitatis occurrit. Causas quoque
nostrorum, quæ interim in vestro sunt au-
ditorio ventilandæ, commendamus attē-
tius, ut in eis apud vos & amici diligētiam,
& iudicis inueniant æquitatem. Domino

quoque Regi supplices pro nobis gratias exhibete, quod infirmitati nostræ tanta liberalitate cōpassus est, & æs alienum quod tam ipsius, quam alia qualibet occasione contraxeram, si secus accideret, regalius scepit munificentia persoluendum, fidemque deuotionis nostræ, & sedulitatem laudauit obsequij, eaque sibi saepius extitisse fructuosa cognouit. Dulciss & efficaciss inter omnia medicamē accepi gratiā Domini mei, in oportunitate copiosius affluētem, cuius alacritas omnē protinus iniuriā passionis exclusit: felicem me, inquā, si vñquam inueniar accepisse nō ingratē, quod tanta tamque facili mihi bonitate collatū est, si vtilitatibus eius & gloriæ datum mihi fuerit, totis facultatibus, toto studio, totis semper viribus inseruire. Licet autē maiestas beneficij modulum nostræ paruitatis excedat, dignissimus profectò dicēdus est quisquis totum quod potest ad gratiarum congerit actionem.

ARNVLPHI EPISCOPI

Ad. G. Monialem.

Doties literas tuæ deuotionis accipio, causam mihi mœroris afferunt, & ad te semper amplius diligendam sinceræ flammam charitatis accedunt. Et causam quidem mœroris afferunt, quoniam representatur mœti meæ frater ille meus, quæ viuentem speciali præ cæteris amore dilexi, cuius quanto vita mihi iocundior extitit, tanto defuncti lachrymosa recordatio plus doloris importat. Requiescebat in eo spiritus meus, quia ipsum verè me alterum poteram reputare, cui me & ipsum mihi non carnis identitas, licet ex eadem stirpe procederet, sed inseparabilis consentientium unitas asciuerat animorum, semper alteri collibuit, quod alteri collibebat: nec tam suum alter, quam alterius attendebat affectum, ut illius magis quam suo semper afficeretur in commodo, vel commodo lætaretur. Sublata est mihi animæ meæ eo decedente pars altera, & intra secretum pectoris inane quiddam præcordia sentiunt, quoniam spiritus integritas, potiore sui parte deminuta, languescit. At verò ad te sicut di-

Etum est amplius diligendam flammam
charitatis accendit, quod huius te doloris
sociam & vicariam fraternalę dilectionis
agnosco. Inter te enim & ipsum, cum ad-
huc esses septennis, parentum interuentu
contracta fuere sponsalia, dum illi sibi de
humano coniugio noua amicitiarum fœ-
dera compromittunt, & grata prouenturę
sobolis pignora contemplantur, & huma-
næ quidem cogitationes ad humanos
liberè disponuntur affectus, sed omnis est
inanis affectio, cui non desideratos diuina
bonitas largitur effectus. Dum enim tha-
lamus illi nuptialis, & coniugalis puellę
maritales destinantur amplexus, quam no-
bilitas generis, quam formę gratia, quam
denique virginalis commendabat integri-
tas, diuina sepulchrum illi depositio præ-
parabat, ut de flore iuuētutis in pulūrem,
de gloria pulchritudinis & virtutis in pu-
tredinem solueretur. Felix tamen ille, si
prior, immò quia prior celestem thalamū
ingressus est, ut adeptam mansionem dile-
cta suę quandoque communicet, & ad
agni nuptias pariter introducti, in conspe-
ctu eius copulari valeatis, & in lætitia dele-
ctari. Felix tu, quę corporales aliquando

ARNVLPHI EPISCOPI

superasti lasciuiae voluntatis illecebras,
quam ab eiusdemodi contactu zelus diuinæ
bonitatis conseruavit intactam, ut mu-
nere tibi perpetuae virginitatis indulto, a-
gnum sequi quocunque ierit, & spirituale
illud canticum possis cum assignatis mili-
bus decantate. Non ergo tibi sublata sunt,
sed immutata spōsalia, vt iam nō homini,
sed Deo spiritali copula cōiungaris, cuius
desiderabilis te foueat & astringat ample-
xus, vt sit lœua eius sub capite tuo, & dex-
tera eius amplexetur te. Tui itaque studij
erit apud hunc, ad quem toto corporis ob-
sequio tota animæ deuotione conuersa es,
deuotis illum precibus commendare, quia
zelum huius habita pro illo supplicatio
non offendet. Nouit enim inter te &
ipsum nihil carnalis intercessisse commer-
cij, nouit quia animus tuus in illa ætate
nulla potuit concupiscentiæ macula de-
formari. Non est ergo quod inuidet,
non est quod te minus reddat accep-
tam, sed potius in te castum tam piæ di-
lectionis approbabit affectum. scio sane
quam studiosè id agas. Neque enim illius
apud te potest præterisse memoria, quem
defunctum non minus spirituali contem-

plaris intuitu, quām viuente m corporali
mirabarīs aspectu. Porro quantō sincerior
extitit, tantō diuturnior sanctæ dilectionis
affectione permanebit. Amor enim quē cor-
ruptarum carnium generat passiones, cor-
ruptioni semper obnoxius, quantō diffici-
lius in principio regitur, tātō post modum
facilius euanscit, adeo ut plerumque cō-
uertatur in odium, & voluptas amaritudi-
ne cōpensetur. Sed & imperfectus est, mul-
tisque declaratur indiciis ipsum ex vera
charitate non nasci, quoniam tantominus
singulos necesse est diligas, quanto hunc
in plures partieris affectum. Sed & qui di-
ligitur sine querela participem non admit-
tit, quoniam sibi derogatum reputat, quic-
quid alij senserit impertitum. Sed incorru-
ptibilis amor de ipsa sinceris spiritus verita-
te procedens, quanto fuerit dilatatus in plu-
res, tantō maius de effusione contrahit in-
crementum, nec inuidiam participatio ge-
nerat, sed insolubilem sanctæ inter omnes
concordiæ firmat amplexum. Hac igitur
presentem sponsum tuum charitate com-
plectere, eūmque non oculis corporis in-
quire, sed cordis, ut speciem eius, quoniam
speciosus est, intueri, & suavitatem eius

*Amor corporum**Incorruptus*

ARNVLPHI EPISCOPI
possis, quoniam suanis est, degustare. Age
etiam gratias incessanter, quoniam spiritui
corpus seruauit intactum, ut puritas inuicē
puritati respondeat, & tu ei perpetuum va-
leas integratatis offerre.

Ad Dominum Papam Adrianum. 4.

Lator præsentiu[m] magister Simon
miserabiles ad Apostolicam se-
dem portat iniurias, quarum si
ille locus Episcopum habuisset,
audita à vobis prius esse debuerat vindi-
cta, quam culpa. Audite eum, & iniurias
eius immò vestras, seueritate debita vindi-
cate, ne huiusmodi aduersus Apostolicam
sedem infolescat audacia, præsettim cùm
in partibus illis in contemptum eius plæ-
raque iam incipient germina pullulare.
Occurrentum est igitur ne tractu temporo-
ris impunita malignitas conualescat, & vi-
res iniquitati dissimulatio vestra, vel indul-
gentior gratia subministret. Iam enim no-
men Apostolicum, quod haçtenus in terra
illa reuerentiæ fuerat & terroris, in causam
scandali versum est, & contemptus: nec ap-
pellantem prouocatio liberat, sed in se po-
tius

tius vehementiam iudicis exacerbat. Sentit hoc iste, qui propter appellationem reclusus in carcerem, ac miserabili tortus inedia, nec apud Tyrannum sine pecunia, nec apud Episcopum sine detrimēto causæ potuit liberari. Et ego quidem pro causa ipsius obnoxius supplicare decreueram, sed apud misericordiam vestrā facile causam declarata perorabit afflīctio, & apud gratiam vestram intercessio nostra solito cōgaudebit effectu. Verū priuatæ communis causa præpōderat, quoniam de Ecclesiæ Dei libertate tractatur, nec iam spes restat illa refugij, si in irritū deducta fuerit Apostolicæ protectionis autoritas. Vindicate igitur, ne fortè, quod absit, procedat temeritas in exemplum, sed clarius audita correctio imperitiam doceat, & compescat audaciam.

Ad eundem.

Petitionem Baiocensis Ecclesiæ de reuocatione Episcopi sui debita deuotione prosequimur, preces nostras precibus eorum apud misericordiam vestram humiliter adiungentes. Supplicat cum eis quisquis antiqua Eccle-

ARNVLPHI EPISCOPI

siæ detrimēta cognouit, quam ille de pul-
uere paupertatis & deiectionis erectam,
de paupere diuitem, de contemptibili ve-
nerabilem, de ignobili reddidit gloriosam.
In quibus sanè perficiendis quisquis labo-
rem eius industriāmque perspexerit, pro-
babitur in executione prudētiām, tum
magnificentiam in effectu. Testatur hoc
ædificiorum reparatio, reuocatio posses-
sionum, & antiquæ restauratio dignitatis,
quam in conculcationem dederat mali-
gnitas & impotentia peruersorum. Exulta-
bunt igitur illi, si migraueritis, quo debel-
lante deiecti sunt, iamque manus auidas
reparant ad rapinam, qui licentiū consue-
uerant in iara Ecclesiæ malignari. Quia
igitur filii & fideles Ecclesiæ imminentia
iam sibi detrimenta præsentiant, ad discre-
tionis & misericordiæ vestræ subsidiū sin-
gulare concurrunt, ut ad conseruanda quæ
collegit suum Episcopum eis remittatis.
Homo enim consilij & fortitudinis est, po-
tens in opere & sermone, in regalibus con-
siliis & negotiis Ecclesiasticis acceptus &
efficax, plurimumque tam ipsi Archiepif-
copo, quam omnibus prouincialibus Epif-
copis necessarius ad reprimendam & re-

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 10
pellendam ab Ecclesia Dei insolentiam
malignorum. Desideratur autem regressus
eius ab his qui in terra prudentiores sunt,
& si quis aduersus eum furtiuia malignita-
tes subimurmurat, non tam charitate, quām
inuidia, nec tantum delictis eius quantum
suspecta magnificētia commouetur. Do-
minus personam vestram Ecclesiæ suæ per
tempora multa conseruet in columem.

Ad eundem.

Iteras iamdudum vestræ timi-
dus offero maiestati, quia diu
est quod coram vestra non ap-
parui Sanctitate. Venturus au-
tem fueram iam tertio, nisi me fallax inui-
di casus importunitas impeditset, quo tri-
bus annis iam hoc propositum meum ad
contrarios rapuit violenter euentus. Pri-
mo siquidem per bella francorum, deinde
per insperatum Comitis Andegauensis in-
teritum, nouissimè per Regiam quæ in fi-
lium eius ira recrudivit, ad quam non so-
lū ciuitatis nostræ, sed ipsius etiam Ec-
clesiæ limina tremuerunt. Verum nunc
respirādi fiduciam parant tum partis no-

ARNVLPHI EPISCOPI

stræ iustitia , tum Ducis nostri virtus illu-
strior , quæ gladios hostium quandoque
perterrituit , & ad pacis inclinavit affectum .
Cùm igitur , Deo volente , sublata fuerit ,
vel dilata turbatio , nihil poterit incolumē
retinere , quin me quam citius pedibus ve-
stræ Sanctitatis aduoluam , gratissimè susce-
pturus omnia , quibus morari meam quā-
tumcumque excusabilis appareat , vestra
paternitas increpabit . Neque enim apud
eum audeo desperare de venia , cuius beni-
gnitas manifestæ excusationis impoten-
tiā non excludit . Iterum autem ex vete-
ri procedit audacia , quòd venientem ad
vos venerabilem & dilectum fratrem no-
strum Episcopum Constantīnum preci-
bus commendare præsumo , quamvis pro
eo plurimum facere videatur ad gratiam ,
quod inter initia noui Episcopatus nihil
faciēdum potius reputauit , quām Roma-
ni Pontificis gratiam quærere , sēque to-
tum familiaritati Romanę Ecclesiæ eò de-
uotiūs , quòd velociūs mancipare .

Ad eundem.

Ro causa ex mandato vestro
dirimenda , quæ inter Abba-
tem Gemmeticanum , & mo-
nachos vertebatur , ad ipsum
monasterium vsque descēdimus , vt nobis
faciliūs de proximo facies Ecclesiæ & re-
rum veritas innotescere posset , ac sine sum-
ptu & labore partium ipsa cōmodiūs con-
trouersia terminari . Cæterū in quācun-
que partem debeat culpa conferri , certum
est monasterium antiquum & nobile mi-
serabiliter in spiritualibus & temporalibus
defecisse , tantūsque inter Abbatem & mo-
nachos omnes , exceptis trib⁹ vel quatuor ,
zelus exarsit , vt in omne tempus de refor-
manda inter eos cōcordia desperetur . Tot
enim in ipsum turpitudines publicè protu-
lerūt , vt necesse sit semper vtramq; partē
de vera alterius gratia dubitare , quoniam
quiescente fortasse litigio , odiosa probrorū
memoria non quiescet . Proposuerunt si-
quidem aduersus eum tria capitula , pri-
mum de turpi & innaturali incontinentia ,
secundum de simonia , tertium de dilapi-
datione , per quam non tantū ad inopiam ,

B iii

Crimina Abbatis obiecta

A R N V L P H I E P I S C O P I

sed & ad extremam inediam se dicebant
esse deductos. Ne verò confusionem fa-
ceret multitudo, si de trib' promiscuè tra-
*Incontinentia ut
forbita.*
Etaretur, elegerūt primum illud de incon-
tinentia capitulum: super quo septem ac-
cusatores monachos sacerdotes, & nouem
post modum testes monachos itidem, sed
diuersorum ordinum produxerunt. Quo-
rum diligentius explorato testimonio, co-
Tatius singulares.
gnouimus V. singulos de singulis actibus
singulare testimonium perhibere, nec ali-
quem eorum aliquid cum alio percepisse,
sed per se sigillatim vnumquemque quod
dixerat inuenisse. Duorum autem qui in
vnus actus attestatione producti sunt, re-
perimus alterum laicum nullius ordinis,
olim militem, ideoque ad exhibendam in
presbyterum criminis probationem minus
idoneum. Alter verò cum eo detracto so-
litarius remaneret, à nobis est minus suf-
ficiens reputatus. Porro de duobus nouis-
simis, qui similiter in vnius, sed alterius
actus testimonio processerunt, alter sudia-
conus & adolescēs inuentus est, qui & ipse
cū ob ulteriorē Abbatis familiaritatem
suspectus esse fratribus incepisset, se nihil
inhonestum de Abbatē percepisse con-

stantissimè corā omnibus affirmauit. Vnde pro minoti ætate, & ordine, & inconstantia sermonis exclusus, socium nihilo minus solitarium fecit. Licet illū quoque lasciuius se gessisse & pars aduersa diceret, & fama consentiens prædicaret. Quibus omnibus diligenter auditis & cognitis, visum est nobis ex sententia cuncta quæ processerant, non ad probationem, sed ad presumptionem posse proficere, quia probatio
 priuilegiū solitaria testimonia non
 merentur. Quia igitur præsumptioni stan-
 dum est, donec in contrarium probetur,
 Abbati est à nobis adiudicata purgatio,
 septima quidem manu, trium scilicet Ab-
 batum, & trium monachorum sacerdo-
 tum notæ, opinionis, & nominis, quorum
 iuramentis vulneratæ famæ necessarium
 posset remedium comparare. Appellatum
 est ergo à monachis ad octauas Pentecost.
 Apostoli postulati & traditi, partibusque
 mandatum, ne interim ab eis appellati no-
 minis Apostolici reuarentia laderetur.

ARNVLPHI EPISCOPI

Ad magistrum Petrum Helye.

Si ab adolescentे nostro laudabilis indoles & industria sperata defecit, certus sum à magistro nec doctrinam nec diligētiā defecisse. Debueram vobis, si se tractabilem præbuisset, sed pluris me constituit fluxa eius & repugnans insolentia debitorem. Quantò enim in eo prosecutio vestra minus inuenit obsequij, tantò plus laboris impendi, plus molestiarum oportuit sustineri. Est igitur voluntas nostra, quòd redeat ut tam à nobis, quàm à patre fratribusque corruptus, possit ad vos aliquando mutata in melius volūtate reuerti.

Ad Dominum Papam Alexandrum,

cum esset Cancellarius.

B Andinum vestrum ad Regem usque perduxī, qui dignationi vestræ gratias agens, cum maiori Procuratori domus suæ tradidit informādum, ut idem ei & necessaria prouideret, & inter alios nobiles eum regalibus obsequiis familia-

riùs adhiberet. Et ille quidē imperata diligenter exequutus, sed etiam imperium quandoque eleganti præcurrit ingenio, promptus ad omnia, quibus debet ingenui adolescentis industria collaudari. Siue igitur aucupationi, seu venationi, quibus studiis Rex multus insistit, seu rebus bellicis int̄éderetur, regios discursus indefessa celeritate prosequebatur: cæterique pigritantibus non solum regi, sed & omnibus qui cum ipso erant vigilanter assistebat, tanquam si vniuerscuiusque esset specialiter obsequio deputatus. Vnde pluriimā apud regem & apud omnes laudem & gratiam impensa sedulitate promeruit. At si de moribus ducitis inquirendum, Gallicanam porosus incontinentiam seueritatis Italicæ modestiam cōseruauit, vestræ memor per omnia disciplinæ. Non eum reddidit sermo petulans, vel effusus infestum, non regales diuitiæ fortioris adolescentiæ robur emollierunt, non opinionem eius aliqua respersit infamia, sed testis cōsciētiæ pudor ad omnem aspectum & omne alloquiū faciem eius casto laudabilis verecundiæ rubore suffundit. Atque hæc mihi quādoque ad Curiam redeūti per plerosque cōperta

ARNVLPHI EPISCOPI

sunt, sed gratius habui quod haec & alia de ipsius ore Regis accepi. Adiunxit enim, nullum inter tot nobiles tantæ industriæ, tamque bonæ indolis puerum se habere, magisque ipsum in agnoscenda domus Regiae disciplina paruo tempore profecisse, quam alij triennio profecissent. Competum se habere puerum nobilis esse profapiæ, cuius ingenuos mores vltro tam prudenter quam benignitas innata formaret. Placere sibi si apud eum aliquandiu moraretur, vestro tamen remittendum arbitrio, quam primum æstivalis intemperantia præterisset. Existimabis fortassis quæ scribo fallaces esse blandicias, sed nec sapientem fallere tutum est, nec mendacio conuenit labia pollui sacerdotis. Valeaq

Ad Abbatem sancti Ebrulfi.



Cire debetis omnes obligations prædecessoris vestri in personam vestram recta via transisse, quibuscunque monasterium vestrum in defisu ipsius extitit obligatum: sed & eadem obligationes, si forte fuerat, religione qua-

libet interueniente firmatæ , eidem vinculo vos credatis obnoxium, quem in locum illius successisse constat, & omnes tam utilitates quam onera monasterij suscepisse. Propter quod Hugonis & Drogonis de cambium grauiter instatia nos infestat super pecunia, quam prædicto prædecessori vestro totique capitulo crediderit, cuius solutionem certum est ipsum & vniuersitatem totam fide per vicarias manus corporaliter interueniente firmasse. Ad maiorem quoque cautelam decem de fidelibus monasterij pari vinculo se nihilominus astrinxerunt, quos scilicet creditorum prudenter magis idoneos credidit ad soluendum. Post modum vero qua fide, qua diligentia negotium vestrum gesserim apud eos, vestra præsentia recognouit, cum vobis & usuras remitti fecerim, & necessitatem solutionis in duorum annorum curricula prorogari. Cumque nulla inter vos posset, nisi me interueniente, prouenire concordia, obligauit me pro vobis, promisso scilicet quod suo tempore fidem debitam facerem, placitis conuentionibus exhiberi. Porro sanctitas vestra minorē meritis meis gratiam retulit, minorem Episco-

ARNVLPHI EPISCOPI

pali reuerentiam detulit dignitati , minus
opinioni suæ , minus fidei fratum , salutiq;
prospexit . Quid enim si semel consensit
vniuersitas obligari , nunquid reatus Ab-
batis , aut depositio potuit eos ære alieno
quod contraxerant , fidéque super ipso præ-
stata , liberare ? In vos tamen hæc potius
quàm in ipsos debet culpa conferri , cum
eis circa spiritualia propensius occupatis ,
ipsi fidei & diligentiae vestræ suam & po-
testatem crediderint & salutem . Quòd si
vos curam animarum suscepistis bona fide
gerendam , ad conseruandam fidem eo-
rum principaliter intendere debuistis , præ-
sertim cùm huiusmodi transgressio soleat
criminalis etiam in sœcularibus æstimari .
Super quod si ignorantiam eorum simpli-
citas fidelis excusat , in vos tā vestrā quàm
ea quæ eorum futura esset si rescissent , iure
culpa transfertur , duplicitique reatus du-
plex vos constituit negligentia transgresso-
rem . Accedit quòd prudentiam vestrā
semel iterūmque commonui ut creditores
exorare , adhibita etiam nostra intercessio-
ne , velletis : quod facile fieri poterat , ut so-
lis precibus salua vobis adhuc esse posset
& vtilitas & honestas . Redite igitur ad

cor, & contemptum hunc consilio meliore deponite, fidem nostram & vestram & fratum vestrorum ab hac, si etiam est calumnia, liberate, quoniam res ista plurimam opinioni vestræ iam intulit læsionē, & si fortassis non abstulerit conscientiæ puritatem. Quod si veteri proposito decreuistis insistere, me quidem mendacem promissionis existere non oportet, sed ubi consilij mansuetudo non proficit, manum fortitudinis conuenit adhibere. Studij itaque vestri sit infra proximum Pentecosten satisfacere, sicut in nostra fuit præsentia constitutum. Alioquin ex ea die fraternitatem vestram ab officio altaris noueritis, ea qua præminemus auctoritate, suspensam: fratum verò vestrorum conscientiæ relinquo, quo modo munus offerant ad altare, si non fuerit creditoribus satisfactum, quibus ipsis sc, etsi non propriis, vicariis tamen manibus astrinxerunt.

ARNVLPHI EPISCOPI

Ad Abbatem sancti Ebrulfi.

Ro wllmo monacho olim nos
fraternitati tuæ semel & iterū
scripsisse meminimus, ut eum
in monasterio tuo in quo pro-
fessus es, reciperes, & paratum ad omnem
humilitatem & obedientiam benignitate
debita confoueres. Quòd si aduersus eum
fraternitas tua aliquid haberet, quominus
recipiendum esse decerneret, id ipsum no-
bis, assignato tibi loco & tempore cōgruo
demonstrares, ne aut ipse sine culpa, socie-
tate collegij priuaretur, aut quies fratum
importuno reprobandæ personæ turbare-
tur accessu. Ovis enim ad ouile potius hu-
meris est reportanda pastoris, quam lupo-
rum morsibus exponēda, ad cuius salutem
impreciabilis ille Christi sanguis effusus
est, & institutionis Euangelicæ doctrina
concurrit. Nos verò cùm tu nec mona-
chum iuxta mādata reciperes, nec post se-
cundā etiā vocationē nostro te conspectui
præsentares, ne in contēptum Episcopalis
reuerētia verteretur, ad veniendū te man-
dato seueriore cōpulimus, prædicto fratri
de exclusione, nobis de inobediētia respō-

surum post modum, tamen ne quid motu
quolibet facere crederemur, nosti quanta
iniuriam nostram facilitate remisimus, ut
& tu exemplo nostro posses ad misericor-
diam inuitari. Tu vero quam durum te &
inexorabilem præstiteris, meministi, asse-
rens saepe dictum fratrem publica totius
capituli sententia condemnatum exisse,
pro delicto quodam, quod, sicut aiebas, se-
cundum priuatas institutiones vestras ve-
niām non meretur. Ille vero cum delictum
modis omnibus, sententiāque capituli
pernegasset, innocentiam suam testimo-
nio capituli cum omni, sicut visum est, se-
curitate commisit. Placuit itaque nobis
consilio magnorum virorum qui aderant,
ipsum & religiosas ad capitulum vice no-
stra destinare personas, per quas nobis ex-
quisitam remitteret arrestatio publica ve-
ritatem. Tu autem in absentem testimo-
nium dici multa instantia postulabas, nec
te permisurum pro nobis ipsum vel capi-
tulum intrare, vel aliquid quod ibi dicere-
tur audire, cum in inquisitione criminis
reos præsentes esse oporteat, & omnem eis
audiendi & respondendi copiam indulge-
ri. Super quo, quia de saepe dicti fratris cri-

ARNVLPHI EPISCOPI

mine nolivisti nos facere certiores, necesse
habemus ipsum interim innocentem re-
putare, quem nec propria confessio, nec
attestatio quaelibet aliena conuincit. Ne-
que enim ipsum pro simplici delatione
tua condemnari canonicus ordo permit-
tit, presertim cum te eum aliquando exor-
sum habuisse constet, nec adhuc rancorem
veteris iracundiae sepelisse. Per praesentia
itaque scripta tibi mandamus, ut eum in
claustro cum ceteris fratribus sine dilatione,
salua omni pristini status sui integritate,
recipias, nec ullis eum molestiis inquietes,
sed tanto cum benigniori charitate con-
foueas, quanto ipsum es seueriori vehe-
mentia persecutus. Ad benigni siquidem
patris amplexum filialis deuotio conuale-
scit, & sicut odia prouocantur iniuriis, sic
benignitate gratia comparatur. Quod si
fraternitas tua praesentibus detrectauerit
obedire mandatis, ab altaris officio te no-
ueris, ea qua tibi præminemus auctoritate,
suspensus, donec & fratri de iniuria, & no-
bis sit de contemptu ordine iudicario sa-
tisfactum. Nosse siquidem debes in eo qui
religionem professus est, inobedientiam
crimen esse, ipsumque ad exactissimam di-
ligentiam

obedientia.

ligenitiam teneri, qui obedientiam Præla-
to suo viua voce & scripto, iuramento
etiam corporaliter interueniente, adhibita
salutiferæ crucis impressione signauit.

Ad Willm. Cenomanensem Episcopum.

Dominus Rad̄ thesaurarius Ro-
thomagensis amicus noster est,
compertumque habet quod ego
apud sanctitatem vestram iam-
dudum plurimam sim gratiam consequu-
tus. Inde est quod nostra apud vos inter-
cessione postulat adiuuari, quoniam in
duobus se grauari conqueritur, super assi-
gnatione loci, quem vos ei & Dominus
Pictaum ad agendum de causa quæ inter
eos vertitur, assignastis. Cum enim ciuitas
vestra in medio sit ferè constituta, paulò
tamen à Rothomagensi ciuitate remotior,
vos eum quasi in occursum aduersarij sui
ad vleriora loca trahere destinastis. In
quo videtur ei quod affectio vestra in fau-
ore oppositæ partis cœperit esse procliuior,
quia statim ei de spatij distributione adeo
propicius extitistis, vt aduersario x l. tan-
tum miliaria ad veniendum, & ei centum,

C

ARNVLPHI EPISCOPI

ipsaque importuniota præfixeritis, ad eundum. Quod si ei censuistis pro Episcopali reuerentia deferendum, id eatenus faciendum est, ne in onus aut præiudicium alterius liberalitas effusa procedat. Sic enim inter partes media debet esse iudicantis religio, ut libera in de pari singulis exhibeat æquitatem, ne sententiam dictasse videatur affectio, sed iustitia rationis instrumentis compelta formasse. Rogat igitur, nosque pro eo supplicamus attentiùs, ut locus eis ad agendum facta æquiùs spatij distributione Cenoman. assignetur, aut citra, ut & nos interesse possimus, quia ob familiaritatem utriusque partis & gratiam plurimam inter eos componendi fiduciam obtinemus. De alterius vero loci & temporis assignatione, de vobis conqueri pars illa non poterit, quoniam hic citatus semel pro simplici absentia condemnari non potest, donec secundo, vel tertio etiam citatus fortasse sit, ut pro multiplici absentia de manifesta contumacia condemnetur.

Valete.

*Ad Hugonem Rothomagensem
Archiepiscopum.*



Vper iniuria quam nobis infert Dominus Siscannensis literas vestræ maiestatis accepimus, continentes quod ipse nobis sacerdotem ad Ecclesiam illam de qua agitur per manum vestram consentit offerri. Et nos nimirū sanctæ & benignæ nobis diligetiæ vestræ gratias agimus, sed versuti hominis timemus astutias, ne hoc facto & prudentiam vestram circuuenire, & iustitiæ nostræ præiudicium comparare disponat. Iudicatum enim est inter nos, & à delegatis ab Apostolica sede iudicibus imperatum, ut nobis ablata restituat, & excommunicatos ad satisfactionem venire cōpellat, sacerdotem offerat, per quē & Ecclesiam & populum nobis, tanquam pastori & Episcopo animatum suatum, faciat obedire. In quo si de alterius & non de ipsius manu suscipimus sacerdotem, non restituta nobis videbitur, sed sequestrata possessio, plurimumque hoc poterit partem nostram, cum de dominio tractabitur, impedire.

C ij

ARNVLPHI EPISCOPI

Sed nec ad obsequendum iudicibus sola sufficit sacerdotis oblatio , nisi & ea quæ præscripta sunt nobis integrè fecerit exhiberi . Si tamen ad præsens de ea inter nos compositione tractaretur , quæ omne in futuro litigium tolleret , possemus ad omnem temperantiam consilio vestræ paternitatis adduci , sed aduersario ad pugnam se totis viribus accingenti vites addere , non est imprudentis tantum hominis , sed insani .

Ad Danielem Priorem sanctæ Barbaræ.

 D gerendam sollicitudinem domus tuæ non pro tua te, frater, virtute vocauimus, sed pro diuinæ fiducia bonitatis, quæ his qui ad regimen animatum pure vocantur & humiliter obedire consentiunt, vbiorem largiri gratiam consueuit. Sicut autem non debebas te nō vocatus ingerere, ita vocatus recusare non debes, quia non minus delictum tumor inobediæ, quam zelus ambitionis importat. Quod si non ex timore, sed ex humilitate potius, sicut putas, & timore desistis, pusillanimitatem hæc mihi sapit humilitas, quātò studiosius

deuitanda est, quantò magis periculo desperationis accedit. Sed & si qua vñquam ratione ab hac vocatione fueras absoluendus, nō debuisti apud fratres tuos, nec apud auctoritatem nostram literis excusari, nec propriæ voluntati, cui te renunciasse cognoscis, morē gerere, sed personam tuam, quæ magis nostra quām tua est, pedibus nostris humilis & deuotus offerre, fratrūq; tuorum trahi desideriis, & mandatis Pontificalibus inclinari. Porro mora tua rerum temporalium, & quod grauius est, periculum continet animarum, quia incustoditas oues luporum incuribus esse constat expositas, detrimentūmque omne ab eo requirendum est, qui debitam custodiam detrectat aliquibus occasionibus adhibere. Veni igitur, quoniam cum ipso onere gratia tibi diuina concrescit, & nos personam tuam, & domum ipsam solita, vel maiore etiam charitate fouebimus. Et si qua forte intrinsecus difficultas emerserit, ego in manu forti ante faciem tuam protinus omnia complanabo. Veni, inquam, & infra octauam diem post acceptionem præsentium literarū iter aggredere, nullásque inueniendo causas dilationis admittas, nisi

ARNVLPHI EPISCOPI
quas necessitas inuincibilis, vel enormis
damni euitatio suggeſſerit admittendas.
Quod si non feceris, exinde te, tanquam
inobedientē, Episcopali autoritate ab om-
nium Ecclesiarū introitu summouemus.

Ad Ermaldum Boneuall. Abbatem.



E aduentu vestro nihil audie-
ram priusquam vester ad me
nuncius peruenisset. Neque
enim viderā dominū Ebri-
censem, sed eadem die ipsum
literas vestrarū Turonum, quō ad Regem
veneramus accepi, literarūmque breuita-
tem iocunda communis amici suppleuit
oratio. Gauifus sum de incolumitate ve-
stra, gauifus de peregrinationis prouentu,
gauifus quòd vestram prudentiam & ho-
nestatem honore debito Romana reco-
gnouit Ecclesia. Ad cumulum tamen
exultationis accessit quòd in proximo visi-
tare nos dilectio vestra cōſtituit, vt & mu-
tuis exhilaremur aspectibus, & iocundis al-
ternæ collocutionis affatibus delectemur.
Communicabimus etenim quæ nos inte-
rim blanda vel aspera contigerunt, quo-

niam hæc inter amicos cōmunicatio mouet affectus, vt prospéra quidem propter congratulationem dulciora faciat, & aduersa per compatientiam leuiora. Porto si quidem leuius quod aliis mecum pari compassione supportat, ipsamque inter amicos facit exuberare lætitiam, conscientia participatio gaudiorum. Quanta igitur possum acceleratione festino, Lexouiumque ipso Kal. Mart. die, Domino volente, perueniam: ibidem per dies aliquot, vel in vicinia moraturus. Nuntium autem vestrum per aliquantulum temporis modestè detinui, quoniam incertum me de reditu meo grauia quæ inter Reges vertebantur negotia detinebant.

Ad Rad. Dedieeo London. Archid.

AV diu te causa studiorum Par-
tius aduenisse, audiui & læ-
tatus sum: Lætatus equidem,
vt eius quem diligebam præ-
sens me læticaret aspectus, & iocunda
collocutionis alternæ collatio delectaret.
Optabam quoque, vt aliqua exhibendi ti-
bi officij resulgeret occasio, cuis me du-

C iiij

ARNVLPHI EPISCOPI

dum merita præuenerunt. Licet enim so-
lum veritas amicitiæ requirat affectum,
liberale tamen obsequium non excludit,
sed eo potius illustratur, quoniam, ut ait
sanctus ille, probatio dilectionis, exhibi-
tio est operis. Mouet autem quod cùm se-
cundo iam veneris, noluisti ad amicū nec
ac momētum etiam declinare, neque fal-
tem percursorē debitæ salutationis al-
loquium pāucis consignatum apicibus de-
stinare. Hæsi diutius, quotiesq; ab illis par-
tibus aliquis apparebat, diuinabam quodd
ille mihi iucundum Rad. mei nunciatet
aduentum, frustratus totiens, ex hoc nunc
nihil audeo diuinare, sed charitatem tuam
duxi literis præsentibus, si fortè obdormie-
rit, excitandam, aut si quem fortè concepit
falsa suspicione languorē, de perseveran-
tiæ meæ nuncio cōualescat. Noueris enim
nihil tibi apud me de pristina charitate pe-
risse, sed quasi duplicatus amor est, cùm
cū tibi mea mens cogatur exsoluere, quem
aliquando duobus impendebat affectum,
sublatus siquidem est è medio communis
amicus noster Rad.de Flur. qui dimidium
animæ meæ videtur moriens abstulisse.
Ipsius mihi semper est colenda memoria,

ipsius amor semper, quibuscunque modis
id fieri potuerit, instaurandus. Duobus au-
tem modis defuncto vicem amicitiae iudi-
co rependendā, vt primò scilicet piis apud
Prædictio pro defunctis
Deum intercessionibus adiuvetur: secun-
dò hi quos ipse dilexerat dilectione vica-
ria diligentur. Inde est quod amor noster
ab illo in te quasi quodā hæreditatiæ suc-
cessionis iure transfusus est, vt iam te non
simplici, sed duplicato complectar affectu.
Tibi enim præ cæteris hæc est deferenda
successio, quem ille præ cæteris diligebat,
tibique eam quasi quodam testamēto spe-
cialis amicitiae prærogatiua consignat. Ge-
re igitur suum amicitiae morem, certisque
clarescat indiciis ipsam nouas vires de no-
ua duplicatione traxisse. Scribe autem in-
terim aliquid, vt in alterius vtriusque vi-
dear suscepisse sermonem. Iniunge quod
vis, vt in altero vtrique videar obsequium
præstitis: visita nos, vt possim vtriusque
personam in altero contemplari. Scribe,
inquam, quia si scripseris, hoc ipsum tibi
studij poterit augere materiam, nec propo-
siti operis prouectum impediet aut pro-
uentum. Iniunge aliquid, vt aliqua amici-
tia perseverantis argumenta procedant,

ARNVLPHI EPISCOPI
quia eam efficacius comprobat petendi
fiducia, quam liberalitas offendendi. Visita
nos quia te, cum desiderium nostrum, tum
loci propinquitas, tum etiam solemnitas
inuitat. Dominus quoque willermus de
Ver ex promissione tenetur ut veniat, vo-
bisque inuicem solatiari poteritis, & nobis
sæcæ solenitatis gaudia duplicare. Valete.

*Ad Dominum Papam Alexandrum
de promotione sua.*

aduersus orationem
ann. octava vñ
dui, et eius usq[ue]
vñ V. Naufragii.
lib. 25. 9.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui Ecclesiam suam immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui mirabili semper benignitate diligit & conservat. Licet enim ipsam aliquibus quandoque vexari patiatur iniuriis, facit tamen cum tentatione prouentum, ut possit sustinere, nec unquam portas inferi aduersus eam præualere permittit. Neque enim expedit ut continua prosperitatis status eam insolentem reddat, vel otiositas negligenter, sed humilitatem conseruet afflictio, & vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum

ipsa tanquam aurum in fornace probatur:
 & ad augmentum coronæ cuncta proficiunt, dum eam vis aduersitatis fortiorem
 reddit, & malignitatis infestatio cautiore. Ipse verò miserator & misericors Dominus ad tempora tribulationis viros virtutis & consilij prouidet & præformat, qui temeritatis audaciam repellere valeant, & malignitatis astutiam nouerint declinare.

Quod in sanctæ & gloriæ recordationis Innocentio Papa satis euidenter apparuit, Innoc. 2.
 qui extollentem se aduersus omne quod dicitur aut quod colitur, Deus deiecit haereticum, quem nobilitas generis, quem diuitiarum cumulus, quem peccattrix eloquentia, quem prudentia sæcularis, quem denique sæcularium hominum fauor publicus attollebat. Praeualuit in athleta Dei veritas falsitati, & humilitati robustæ superba cessit ambitio, & de iniuitate iustitia triumphauit. Vidimus siquidem ipsum exaltatum & eleuatum, sicut cedros Libani, & transiuimus, & ecce non erat: quæsiuimus, & non est inuentus locus eius, quia nec inter mortuos tumulum neque titulum meruit sepulturæ. Dominus autem sublimauit cornu Christi sui, ut in eo vni-

Anachorita

papa.

magis dignissime.

A R N V L P H I E P I S C O P I

tas Ecclesiæ reformari posset, & regnum
ipsius omnibus dominari. Memini ego,
nec id à vestra reor excidisse memoria,
quanta ad mandata eius Principes reue-
rentia mouerentur, quām sublimis extite-
rit, quantāque maiestate refusit Ecclesia,
quantum in diebus eius religio munda &
immaculata profecerit, adeò ut plures ho-
die religiosorum deserta cōtineant, quām
ferarum olim habuerint bestiarum. Arbi-
trabatur ille ad regēdos homines vtendum
potius sobriæ seueritatis disciplina, quām
remissæ misericordiæ lenitate, Deo potiùs
quām hominibus placere desiderans, ne
ob gratiam hominum, coram Deo posset
contemptibilis apparere. Vnde & virtus
eius semper inter aduersa maior enituit,
nec tāta postmodum prosperitatis eius in-
signia claruerint, quanta præcedentis ad-
uersitatis adhuc magnalia celebrātur. Ne-
que enim cōfidebat in homine, neque car-
nem ponebat brachium suum, sed potiùs
confidebat in Domino, & erat Dominus
fiducia eius. Porrò scismata hæc in Ecclesia
scismata in fragma Romana frequentiūs accidisse, etiam La-
teranensis Palatij picturæ demōstrant, vbi
Catholicorum patrum pedibus, pro sca-

bello scismatici præsumptores adscripti sunt, vbi superborum & sublimium colla sapientia propria virtute conterit & conculcat. Quod sanè ea ratione factum, ut sanctis patribus cedat ad gloriam victoriæ testis ascriptio, in qua præsumptores illi vel compressionis pœnam sustinent, vel præsumptionis veniam deprecantur. Vnde & sancti Apostolatus vestri cathedra sine scabbello esse non debuit, sed nobiliore scabbelo debuit illustrari. Neque enim incerta vobis est, aut longinqua victoria, sed humilitas verecudia vestræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu sancto patribus distulit obedire. Pari etenim culpæ tenetur obnoxius, qui vocationem Domini præuenit, vel recusat oblatam. Redibit tamen in proximo, Deo volente, serenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula dissoluetur, redintegrata unitate Catholica ab omni parte pedibus vestris universitas fidelis occurret. Interim autem quæcunque cæteros studia remoren tur, quibuscunque desideriis prophana trahatur ambitio, quantacunque temeritate destabilis erumpat inuidia, ego minor licet omnibus, non minore tamē gaudio quam

ARNVLPHI EPISCOPI

cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri vicarium, pastorem & Episcopum omnium qui Christiano nomine censentur agnoscō, & vobiscū catholicam profiteor unitatem. Gaudeo itaque quoniam desideratus dies, dies scilicet exultationis illuxit, quo reuera restitutam credimus virtutibus gratiam, virgam vitiis, terrorem principibus, Ecclesiæ libertatē. Gaudeo, inquam, quia ex hoc nunc sermo Dei non erit alligatus, sed verbum eius quod in ore vestro verum est, quod impossibile credebatur, facili consummabit effectu. Properassem igitur iam ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos, ut ariditatem meam, quasi copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret vbertas, nisi me zelus utilitatis vestrę maximē tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit, festinaui ad nostri notitiam Principis id perferrre, ut vacantem animum eius fauore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præueniret: facilius etenim est animos occupare vacates, quam

1 Henr. 2 Aug. 4.

ipsos à conceptis affectibus reuocare. Hæsit ille aliquandiu, sed statim operante Spiritu sancti gratia confirmatus, nullum se alium quām vos suscepturum hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cùm proximè de differenda vestra susceptione Imperatoris literas acceptus, cui discurrentibus inuicem literis & legatis, plurima videtur charitate coniunctus, ne preces eius spreuisse, & in præjudicium eius festinasse videretur, genera-
le quidem suppressit edictum, sed nequam manus aut linguam à literarum non minisque vestri veneratione continuit, neque quenquam nostrum voluit contine-
re. Arbitratus est siquidem minus valitu-
ram pro vobis editi iactantiam, quām operis veritatem. Firma apud eum est & indubitata vestri Apostolatus auctoritas,
atque in quancunque partem cor prædi-
cti Principis fuerit inclinatum, iste procul-
dubio non sequetur errantem. Mei autem studij erit omnes circa eum quasi vigilias obseruare, ne ora loquentium iniqua conualeant, sed ipse in vestra, sicut semel incepit, obedientia persecueret. Felicem enim me, inquam, si vñquam in hoc vel in alio

fidelis in bavaria.

ARNVLPHI EPISCOPI
beneficentiae vestrae gratus inueniar, ut de-
uotionis meæ saltē inter cæteros aliquan-
do velit vestra dignatio reminisci. Vestrū
quoque est, quoties refulget occasio, pro-
uincias omnes frequentibus visitare man-
datis, ut ab omni parte nomini vestro &
obedientiæ pariter assuescāt, quia non erit
qui vel literas non recipere, vel mandatis
audeat obuiare.

Rescriptum Domini Papæ Alexandri.



Alexander Episcopus seruus
seruorum Dei, venerabili fra-
tri Arnulpho Lexoviensi Epi-
scopo salutem, & Apostoli-
cam benedictionem. Literas
à tua nobis prudentia destinatas tantò hi-
lariori mente suscepimus, quantò de vbe-
riori pinguedine charitatis, & ampliori
feruore deuotionis eas nouimus proces-
sisse. Quas & nos ipsi attentè satis ac dili-
genter inspeximus, & ut conceptæ dile-
ctionis integritas & probatæ fidei certitu-
do in tenebris non lateret, sed fieret igno-
rantibus manifesta, eas in fratum nostro-
rum auditorio publicè fecimus recitari.

Ipsæ

Ipsæ profecto & deuotissimi continebant
puritatem animi , nec minus luculentam
profundi pectoris eloquentiam redolebat.
Nouimus autem & immemores non exi-
stimus, qualiter sicut & ipsa tua scripta ple-
nariè continebant, diuæ ac reuerendæ me-
moriæ Innocent. Pap. antecessori nostro,
scismaticus ille, qui & generositate naturæ,
rerum copia terrenarum, prudentia sœcu-
lari, & gratia labiorum , mira æstimatione
reddebatur insignis, nefaria temeritate suc-
creuit & innocentem noxius, fortis debi-
lem, armatus inermem, scismaticus catho-
licum impugnabat. Cæterum ad quem fi-
nem res ipsa, Deo miserante , peruenierit,
deuoti & fideles Ecclesiæ filij, per gloriam
meritorum , mali verò , per suppliciorum
grauamina cognouerunt. Quid etiam de
aliis similia præsumentibus antea fæpenu-
merò contigisset, tu tam secundè, quām
eleganter in illis eisdem literis expressisti.
Tēporibúsque nostris optimus Deus vo-
luit hæreses suscitare , ut qui probati sunt,
manifestifiant, & ut per nostram & aliorū
catholicorum studium & laborem granis
à paleis in area Domini segregatis scisma-
ta & hæreses conterantur. Credimus si-

ARNVLPHI EPISCOPI

quidem , & de gratia diuina confidimus,
quòd in proximo sedatis fluctibus procel-
larum , & ventorum turbine propulsato,
dies nobis serenus & fulgidus arridebit.
Et calcatis inimicis Ecclesiæ tranquilla in
portu Petri nauicula residebit . Persolu-
mus autem gratias omnium conditori,
laudum præconia referentes, quòd magni-
ficum illum & serenissimum orbis Principē
Henricum Regem Anglorum audimus
firnum & stabilem in Catholicæ unitate
Ecclesiæ permanere , & quòd per tuā præ-
fertim inductionem idem in sancto pro-
posito animū solidauit . Rogamus sanè ut
ita vigil semper circa eum & sollicitus per-
seueres , ne per frequentes vexationes Im-
peratoris & nunciorum suorū , à deuotio-
ne Ecclesiæ & nostra , quod absit , velit mo-
do quolibet declinare . Volumus quidem
te apud eundem Regem & Episcopos at-
que adiacentes personas , quasi quendam
Apostolum & nuncium veritatis in illis
partibus , experiri . Circumpositos quoque
& vicinos Episcopos , & tam Ecclesiasti-
cas quam sacerdotes personas , nobiles præ-
cipue ac potentes , ad hoc ipsum efficaci
studio & omni diligentia exhorteris . Nos

enim personam tuam quam sincera charitate in Domino diligamus, atque ad honorem & exaltationē tuam quām prompto animo desideremus intendere, per illum dilectionis ferorem, quem circa te & ante promotionem nostram habuimus, discretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare. Præterea qualiter Fridericus Romanorum Imperator, auorum suorum sceleretatisima vestigia subsecutus, circa sacro-sanctam Ecclesiam Romanam in præsenti se habeat, & olim habuerit, & qualem circa eam animum gerat, qui utique specialis eius patronus deberet & defensor existere, multis rerū indiciis à longis retro temporibus, ad notitiam tuam non ambigimus peruenisse. A tempore siquidem antecessoris nostri piæ recordationis Adriani Papæ, & ab exordio dignitatis suæ cœpit sanctam Romanam Ecclesiam, tāquam tyrannus, opprimere & non mediocriter infestare: Archiepiscopos nāque & Episcopos à sede Apostolica redeuntes, in ignominiam & detrimentum Ecclesiæ plerunque capi turpiter & inhonestè præcepit, eosque fecit carceris custodiæ mancipari. Non quoque in minori

ARNVLPHI EPISCOPI

officio constitutos, qui cum venerabili fra-
tre nostro B. nunc Portuensi Episcopo,
ad eum fuimus delegati, qualiter apud Bi-
suntium ipse tractauerit, & quām indignè
recepérīt, non opus est nos in præsenti re-
fere, quia credimus te id ipsum plenariè
cognouisse. Veniente etiam prædicto an-
tecessore nostro, patrimonium beati Petri
violenter inuasit, & eandem Romanam
Ecclesiam nisus est modis omnibus con-
culcare, ita quòd à pluribus dicebatur, &
quasi fama communis habebat, quoniam
Octavianus
eo superstite Oct. qui semper fuit dome-
sticus Ecclesiæ inimicus, ordinare Aposto-
licum, immo Apostaticum, si oportunita-
tatem acciperet, intendebat. Quia verò
illo viuente omnipotens Deus non per-
misit eum conceptam vesaniam exercere,
post mortem eius oportunitate concepta
prædictum Oct. scismaticum, symonia-
cum, & manifestissimum inuasorem, qui
cum tribus tantùm maliciæ suæ complice-
bus, sicut totus penè mundus agnouit, post
canonicam & vnam in electionem no-
stram mantum arripuit, & ita se damna-
bili præsumptione intrusit, in tanta iniqui-
tate modis omnibus manu tenuit, & quid-

quid ille fecit, solo fauore, potentia, & au-
toritate ipsius, & nunciorum suorum, qui
in vrbe præsentes extiterant, eum fecisse
absque ambiguitate tenemus. Vnde ad
confirmationem ipsius, immo ut omnem
videretur in Ecclesia Dei auctoritatē ha-
bere, Archiepiscopos, Episcopos, & alios
Ecclesiarum Prælatos, apud Papiam, con-
tra sacrorum instituta Canonum, prout ei
placuit, conuocauit. Ille autem, sicut ho-
mo qui nec in Deo, nec in iustitia confi-
debat, in ipsius Imperatoris præsentia per
aliquot dies, velut pro certo accepimus,
insignia Pontificatus abiecit, sicut etiam
in nostro & fratrum nostrorum conspe-
ctu, dum Romæ olim nos teneret inclu-
fos, suam malitiam recognoscens, facere
voluit, ea quidem conditione seruata, vt
nos ei postmodum reddere deberemus.
Cumque nos ea recipere sub hac condi-
tione nollemus, ipse in sua pertinacia &
damnabili præsumptione permansit. Cæ-
terum ut prædictus Imperator Ecclesiam
Dei suæ videretur subiugare & supponere
ditioni, & eam in supremam redigere ser-
uitutem, memorato apostatico, sicut di-
ctum est, Pontificalia insignia reddidit, &

*conuentus Pap
ianus ubi octauia
nus continuat.*

ARNVLPHI EPISCOPI

*In me sita per am
mulus papa.*
eum de Papatu , quod est à saeculis inauditi-
tum, per annum , prout dicitur , inuesti-
uit. Quosdam etiam Episcopos , aliis dis-
cretioribus & honestioribus occulte de
illo conciliabulo fugientibus , & reueren-
tiam exhibere laicali violentia tyrannica
oppressione coegerit. Sic enim Reges &
Principes diuersarum partium sibi inten-
dit , tum spirituali , tum materiali gladio
subiugare , si in hac parte , quod absit , no-
fandissimum eius propositum præualeret.
Ad haec , iuxta prudentiæ tuæ consilium ,
Rothomagensi Archiepiscopo ciusque
suffraganeis , & aliis per Normaniam con-
stitutis , exhortationis literas destinamus .

*frideric. et octau.
excommunicati.*
De cætero memoratum Fredericum Im-
peratorem , pro eo quod Oct. scismati-
cum recepit , & ei pertinaciter adhaerere
præsumit , cum eodem Oct. & cum aliis
principalibus fautoribus suis , nos de cō-
muni fratribus nostrorum consilio , in ~~cē-
re~~
~~Domini~~ publice ac solemniter excom-
municasse cognoscas . Data Anagn. Kal.
Aprilis .

*Aduersus octauia
nra ab omnibus
papans.*

SVNTA tēpestate laboret Ecclesia, atque in quāto videatur periculo cōstituta, vestra quos hic dolor tangit prudētia non ignorat. Et filij quidem Babilonis prospiciunt & exultant, qui quasi certum auspicantes de procellarū quantitate naufragium, ad diripiendas sarcinas & ipsa nauigij tabulata concurrunt. Nobis autem securitatem præstat diuina promissio, quapropter inferi aduersus eam præualete non sinit, sed vexationis iniurias victoriæ certitudo compensat. Neque enim desperatio- ni locus est, vbi causam rectitudine cōmen- dat, & virtutem patientiæ firmat interim conscientia veritatis. Causæ siquidem nostræ nec ignota veritas est, nec incerta iu- stitia, sed res luce clarior & prauitatis nube negotium purgat, & omni iudicium ab- soluit errore. Si enim persona personæ cō- paretur, nostram perfectio scientiæ, & om- nium virtutum format integritas, quod nō magis nostræ, quam aduersariæ quoque partis testimonio confirmatur. Alteri vero

D iiiij

*Alix. et octauia
nra confutat.*

ARNVLPHI EPISCOPI

si nobilitas generis, & quæsita ob hoc ipsum potentium gratia subtrahatur, non erit vnde ad maiestatis Apostolice fastigiū audeat aspirare. Sed & si facta electionum inuicem conferantur electionem nostram omni ordine, omni solemnitate, omni denique ratione subnixam; alteram plenam impudentia constat, & omni rationis administriculo destitutam. Nūquid enim vnius Episcopi, ipsiusque quem nostis & duorum Cardinalium toti Ecclesiæ præiudicabit auditoritas, & reprobata vniuersitate Catholica intra quaternitatis huius angustias coarctata credetur? Nunquid consecracioni ritè ac solenniter per eam cuius interest multitudinem celebratæ, ea quæ post modum per paucas ipsasque emendicatas manus contracta est poterit præualere? Nunquid impudentiam coniecti sibi propriis manibus induceti minax redemptorum satellitum violentia cōsecrabit? Certum si quidē est Oct. Ecclesiam beati Petri, cùm ibi celebranda foret electio, armatorum copia compleuisse, ut quod de meritis suis & sanctorum patrum gratia non sperabat, strictis in ceruices resistentium gladiis surpareret. Denique consensu omnium in

perso nam sanctissimi patris Alexandri firmato , dum ipse laudabili verecundia renuit & excusat, impositumque sibi manibus ferè omnium pluuiale repellit, dissimulare ulterius ambitio non potuit vel diffidet, sed effusa temeritate nullo adhuc Cardinalium, sicut dicitur, prosequente cucurrit ad cathedram , ea nimis fiducia, quod inuitis armatis non posset ab incrimibus amoueri. Pari quoque palatum festinatione conscendit, ut primus utrunque cathedralm videretur insedisse, & quem iure non poterat, saltem de festinatione sortiretur ascensum, quo predicti tres eum de tota vniuersitate secuti sunt . Alij gladiis discurrentibus territi, cum electo suo in munitionem proximam concederunt, ubi eos aduersarius ille nouem diebus obsecros gladiis tenuit & inclusos , exiguam sicut poterant alimoniam toto illo tempore mendicantes. Vnde etiam sibi mentiendi causam componit iniquitas, asserens Oct. priusquam alter eligeretur, per nouem dies Apostolatus cathedralm solitarium insedisse, quasi ille ab initio licet renuerit non fuisse electus, yniusque violenta possessio sanctificare iniustitiam , & ambitionis auda-

ARNVLPHI EPISCOPI

tiam valeat expiare. Porrò illi de carcere
beneficio Senatus educti ad locum quo
Apostolica insignia seruabantur, Domino
miserante perducti sunt, ut electio manci-
paretur effectui, & electus gratiam conse-
crationis per manum Hostiēsis Episcopi,
ad quem hoc iure speciali pertinebat, ac-
ciperet. Denique Cardinales & Episcopi,
qui per diuersas Provincias legationis fun-
gebantur officio, ad eum pari deuotione
conuersi sunt, totique iam Ecclesiæ Dei
indubitatæ tranquillitatis serenitas arri-
deret, nisi homo ille ad præparatum Im-
peratoris auxilium transfugisset. Verùm
ille gloriae suæ & non Dei sedulus æmula-
tor, desiderij complendi, quod de proauo-
rum exemplo conceperat, occasione in læ-
tabundus accepit. Nostis enim prædeces-
sores eius ad subiugandam ditioni suæ Ro-
manam Ecclesiam à longis retrò tempori-
bus aspirasse, ipsosque aduersus eam sem-
per vel suscitasse, vel fouisse scismaticos,
quo magis iure eius, cui ipsi ministerium
debent, affectatum possent imperiū exer-
cere, cámque ad suam conuerso ordine nō
disponere, sed cuertere voluntatem. Benè
tamen, quoniam quisquis ad hanc de con-

fidentia potestatis illius prorupit audaciā, in ruinam sibi factus est, cæteris in exemplum, quò confusa deinceps cessaret elatione, & sua Ecclesiæ Dei dignitas & reuerētia seruaretur. Cæterūm hic blāda scismatīci desperantis humiliatione seductus est, dum ille personam suam arbitrio eius exponit & causam, neque se quicquam fore, nisi de sola ipsius voluntate præsumit. Unde & ad pedes eius ipsa dicitur Apostolatus insignia resignasse, posteāque de manu ipsius inuestituram accepisse per annulū, ut veteri scilicet quæstione composita, regnum planè desacerdotio, de spiritualibus temporalia, de Ecclesiasticis videretur sœcularia triumphasse. Indignum facinus, omnibūsque sœculis detestāda malitia, ordinationem scilicet diuinam qualibet temeritate conuertere, & redemptam sanguine Christi perimere libertatem. Prædictus itaque Princeps negotium suum, tanquam sub umbra pietatis exercens, Ecclesiasticum congregauit sœculari potestate conuentum, ut præsumptionem scismatici illius proprio roboraret assensu, & quos posset ad obedientiam illius tyrannicæ potestatis terroribus inclinaret, ea siquidem

A R N V L P H I E P I S C O P I

intentione, ut utriusque gladij virtute cōminuta pristinam reformat imperij maiestatem, ut utriusque inuicem cooperante potentia, omnia regna propriæ subiiciat ditioni. Porro illi quos scismatico conciliauerat necessitas aut voluntas, falsitatis & blasphemiae symbolum conscripserunt, ut quod de veritate non possunt, saltēm conquisitæ multitudinis suffragio p̄œualere credantur. Quod scriptum si forte contigerit ad sapientiæ vestræ venire conspectum, multa plenum falsitate credatis, licet etiam si absolutam contineret in omnibus veritatem, nihil quod ibi dispositum sit, aliquem de iure sortiretur effectū. Neque enim arbitrium dici potest, ad quod voluntaria partium compromissio non astringit, nec iudicialis sententia, quę nec ab ordinaria iurisdictione, nec a delegata procedit. Sed & causam communem priuata auctoritate decidere, qua arrogantia p̄œsumperunt, nobisque tanquam inferioribus imponere magistratum, quos diuina bonitas pares ordine, & eadem spectabiles constituit dignitate. Sed neque causa dici debet, vbi inter consentientes nullum potuit esse litigium, neque sine contradictione.

ne quæstio vel formari potuit, vel absolui.
Ad hæc si quod de Oct. factum est ab ini-
tio fortè non valuit, ex post facto istorum
nullo iure valuit, confirmari cum ipse iam
ab eo qui poterat condemnationis senten-
tiā, debitique pœnam anathematis ex-
cepisset. Scio sapientiam vestram validio-
ribus argumentis, potiorib[us]que rationi-
bus abundare, ut Papiense illud Concilia-
bulum nullius reputetis extitisse momen-
tiā à vobis etiam minus intelligentium sim-
plicitas valeat edoceri. Benedictus autem
pater misericordiarū, & Deus totius con-
solationis, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam
misericordiam benignus impendit, ut eam
semper & agnitione veritatis illustret, &
pedes eius à iustitiæ tramite nullatenus ab-
errare permittat. Sicut enim omnes quos
ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabia-
da Teutonici furoris prouexit inuidia, vir-
tus altissimi manifesta deiecit, sic omnibus
quos deuotio Galicana suscepit, victoriā
semper contulit & triumphum. Cūmque
multis constet cæteras regiones abundasse
portentis, sola Gallia monstra non habuit,
sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, vir-
tutum quoque titulis, & plurima operum

ARNVLPHI EPISCOPI

exhibitione præfulsit. Vnde nunc quoque personarum penitus qualitate discussa , factisque electionum pleniū exploratis, in persona sanctissimi patris Alexandri , de verè Catholici & serenissimi Regis sui beneplacito conuenerunt, literasque eius & nuncios passim & suscipiūt & honorant. Sed quia inter ipsum & Principem nostrum , Deo volente , nouiter est reformata concordia , placuit ob gratiam ipsius ad momentum differre publicandæ susceptionis edictū , donec iste noster Ecclesiam regni sui cōsuluisse posset, & quod mente concepit, assensus vestri conniuencia confirmasse. Neque enim prudentiam Regalis excellentiæ decuit, aliquid super tanto negotio inconsulta vestra sapientia diffinire, ne gloriam suam alteri dedisse videretur , & reuerentiam vestram minoris quam debuit aestimasse. Quæ tamen super hoc ipsius ab initio voluntas extiterit, multis declarauit indiciis & expressit, quoniā patris Alexandri nuncios & literas cum reuerentia semper excepit & gratia, nullumque se alium suscepturum, adhibita sœpe coram omnibus assueratione , præ dixit. Porro literas Oct. oblatas renu it ma

nu regia, velut immundum aliquid sordidumque contingere, sed in contemptum eius ligneæ tabellæ, quam ipse de puluere sustulit, manibus offerentis impositas, ipse statim coram nuntio post dorsum suum quām sublimius potuit, risu multitudinis quæ aderat prosequente, proiecxit. Ex his igitur manifestum est voluntatem eius in fauorem domini Alexadri, sine omni ambiguitate firmatam, ipsumque vestrū magis ob reuerentiam quæsisse consilium, quām pro absoluenda qualibet super hoc negotio quæstione. Solent enim Principes Dominique terrarum, maiora negotia quadam semper mora suspendere, ut dilatione crescat auctoritas, & maior lætitia desideria protracta cōsummet. Super quo planè cū in idem fauor Principis veritāsq; concurrent, manifeste vobis viam responsionis gratia diuinæ bonitatis assignat.

Oportet tamen vos propter aliquos, qui inter vos sunt, sollicitè prouidere qui se scismatico illi dicunt cognatione coniunctos, ne malignitas forte p̄rualeat, & eam quæ ex Deo est supplantet carnis affectio charitatem. Sed cūm vniuersitas vestra conuenerit, nolite quorumlibet expectare

ARNVLPHI EPISCOPI
sententias, nec eorum timeatis offensam,
sed conceptum statim in virtute spiritus
vsurpare sermonem, ne dissimulatio vestra
prauitati præstet audaciam, vestróque si-
lentio blasphemiarum primitia conuale-
scant. Tempestiuus igitur zelus iustitiæ
per os vestrū de libertate conscientiæ, &
confidentia veritatis erūpat, vt quasi quo-
dam spirituali tonitruo terreatur iniqui-
tas, & præparata ad subuersionem fidei fal-
lacia suffocetur. Dominus mentes vestrās
in bonum sua pietate dirigat & confirmet,
vt Ecclesiæ eius studio vestro reformatur
integritas, & quæ vos tantis vltrò benefi-
ciis & honore præuenit, gratos in oportu-
nitate sentiat & fideles.

*Ad Ioh. Neapol. & Willm. Papensem
Cardinalem.*

AVdita sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ turbatione condolui,
quia dolorem matris audire
sine compassione nō poteram
filius specialis. Mihi enim dolor ille spe-
cialius incumbebat, quem ipsa semper ha-
ctenus tanta charitate dilexit, tanta fami-
iliaritate

liaritate dignata est, tot beneficiis & hono-
ribus illustravit. Post modum autem audi-
to in cuius personam omnium ferè vota
conuenerant, mœrorem gaudio, ploratio-
nem cythara, vocem plāctus organo com-
mutauit. Gauisus siquidem sum paucos à ge-
nerali concordia descuiisse, quorum nu-
merus nihil aut parum vnitati Catholicæ
poterit derogare. Gauisus, inquam, quia ei
terum summa commissa est, per quem fa-
cile restauranda libertas Ecclesiæ creditur
& honestas. Porro mea non fuit interim
otiosa deuotio, sed apud eos in quoru[m] ocu-
lis Deus mihi dedit aliquid auctoritatis &
gratiæ, causam Ecclesiæ peroravi, & Prin-
cipem nostrum Regem Anglorum, in fa-
uorem patris huius primus & solus adhi-
bito quod oportuit instantiæ confirmaui.
Profectò venissem iam ad pedes Apostoli-
cæ beatitudinis amplectendos, & miscen-
dum desiderabile cum vestra charitate
colloquium, nisi belligerante in partibus
nostris Principe, multis me importunita-
tibus necessitas improba detineret. Vestræ
itaque benignitatis erit & gratiæ, absentia
meam interim apud eum vestra supplete
præsentia, obsequiūmque meum, si aliqua

ARNVLPHI EPISCOPI

videbitur parte opportunum, offerre, quoniam ad omne quod paucis mihi fuerit apicibus indicatum, paratus sum ei & vobis tota deuotione totam impendere facultatem.

*Ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ de Ele-
tione domini Papæ Alexandri.*

Vam utilis apud Principes nostros ad agnitionem sancti Apostolatus, reverentissimi Domini & patris nostri Alexandri Papæ diligentia nostræ deuotionis extiterit, ad notitiam vestram fidelium relatione perueniet aut peruenit. Neque enim necessaria mihi est in hac parte iactantia, ut rei vobis veritas innotescat, quoniam me etiā dissimulante latere non poterit, quod Normania tota mirata est, & ipsa de longinquo nihilominus Anglia recognouit. Bene autem mihi, quia iam fructum diligentiae huius præmiūmque laboris accipio, quoniam mihi salua est gloria mea, testimonium scilicet conscientiae meæ, penes quam gratiæ Apostolicæ plenitudinem & indubitatem diuinæ benedictionis percipio veritatem.

Gaudeo itaque sciens me re vera matri
 meæ gremio contineri, ipsiusque factis fo-
 ueri complexibus & sinceris vberibus al-
 lactari. Gaudeo inquam, cognoscēs quām
 obstinato scismatici miserandæ cæcitatis
 claudantur errore, quorum oculos circun-
 fusæ lucis radij non illustrant, sed ipse po-
 tiūs excedens manifestæ fulgor claritatis
 offundit. Iudicati sunt, debitamque com-
 missi reatus exceperē sentētiā, quos Ec-
 clesia tanquam degeneres Sathanæ tradi-
 dit in interitum carnis, & à Catholica de-
 pulit vnitate. Neque caret executione sen-
 tentia, sed in dilato mancipatur effectui,
 cùm eos interim & conscientia torqueat,
 & imminens quotidie præualentis Eccle-
 siæ triumphus affligat. Porrò benignius
 Ecclesiæ suæ sapientia diuina prouidit ma-
 nifestam faciens omnibus veritatē, ut nec
 simplicitas ignorantia, nec malignitas pro-
 babile quidlibet valeat alligare. Si enim
 eos quos ab vnitate Catholica profana se-
 iunxit ambitio, numerus, vel opinio, vel
 quælibet electionis forma defenderet, ali-
 qua fortassis erroris materia contrahi po-
 tuisset. Sed tres tantum de tota vniuersita-
 te seducti sunt, & hi sanè, quos magis sup-
Excommunicati
tres electores Oct
ariani Tauri et
qualis.

ARNVLPHI EPISCOPI

portare videbatur Ecclesia, quām in aliquo de eorum industria gloriari, quia scilicet eos nec virtutis elegātia, nec literarum peritia commendabat. Nunquid enim is qui inter eos ætate præcedebat & ordine, Tuscul. loquor, horam quietis & prandij solitus obseruare: Epicurus alter reputabatur, ab omnibus omnium negligens, nisi alicuius fortè quod oblata sperati prouentus auspicatio præueniret. Quod adeo verum est, ut cæteris laborantibus solus præmature, sicut dicitur, ab electione discesserit, quoniam hora prandij videbatur instare, ne audius desiderio suo fraudaretur exactor, & inania aduersus negligētes manus inciperent viscera murmurare. Alius affectatæ cancellariæ confusus opprobrio, & alienæ prælationis honore deiectus, conceptum de inuidia personale odium in Ecclesiam conuertere temeratia malignitate præsumpsit. Tertius verò solius inter alios perituræ priuilegio carnis exultans, arbitratus est nihil negandum sanguini, nihil factis Canonibus deferendū. Neque enim potest debitam eis exhibere reuerentiam, quos ignorat. Ideoque similē sibi Brutum brutus elegit, ut in utroque sibi inuicem

de pari literatū imperitia responderet. Sed & Apostolicæ seueritatis eos disciplina terrebat, ne eorum præcipitem cohiberet audaciam, & vagos temerariæ cupiditatis frænaret excursus. Hic numerus, hæc tanta peritia, hoc tam venerabile sanctumque collegium, Ecclesiam Dei, immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui, renitentibus vniuersis affectauit ad propriam pertrahere voluptatem, & à dextris Regis ad detestabiles Sathanæ transferre complexus. Vifa tamen totius ferè vniuersitatis cōcordia desperati, ad vnitatem statim redi-
Transigunt
ostianus.
turi fuerant vel inuiti: sed stupentibus ipsis, ideóq; cessantibus scismatici maioris diuitius effrænata non tulit ambitio, præpara-
tóque furtim, sicut dicitur, pluiali de manibus offerentis arrepto, in humeros suos tanta festinatione coniecit, vt hærentibus collo fimbriis paumentum lamberet pars superior indumenti. Sic indutus ad cathedram, nullo adhuc etiam prædictorum comitante cucurrit, nomē ipse sibi victoris acclamans, & ad suffragandum sibi & decantandas laudes præparator impudenter exhortans. Mirum spectaculum, nec manifesto carēs futuræ veritatis auspicio,

ARNVLPHI EPISCOPI

scilicet quod hic ei in ruinam quandoque
vertetur ascensus , sicut ipsa præsumptæ
chlamydis inuersa conuersio præsignabat.
Interea referatis Ecclesiæ foribus , infame
illud maledictorū genus irrupt: hoc enim
cognitionis illius vetus agnomen est , de
qua ad effundendam benedictionem in
omnes gentes Pontifex dicebatur assumi.
Qualiter autem de stirpe maledictionis
possit benedictio propagari , facile non ap-
paret , præsertim per istum , in quo vetustæ
maledictionis opprobrium , merita cōtra-
ctæ nouiter execrationis attollunt . Discur-
rentibus igitur armatis , cœpit per Eccle-
siam , quasi quædam Theatralis scena , dis-
poni , dum parietes fulgor illustraret armo-
rum , & lasciuia quasi triumphantium ac-
clamatio resultaret . Horum manibus de-
nique pluiali composito , ad Palatium us-
que perductus est , comitantibus his pau-
cisque sacerdotibus , quorum infamis quæ-
stus est simplicitatem peregrinorum elu-
dere , & assiduis altare beati Petri sacrile-
giis infestare . Porro hæc initia eius nō sunt
meliore gauisa processu , si quis vel emen-
dicatæ execrationis ordinem , vel redem-
ptam laicæ gratiam potestatis exquirat .

Nonne enim sacrilegij facinus de maiori
 cumulum iniquitate contraxit, cum simo-
 niacam cōstet intercessisse per omnia pra-
 uitatem, sicut refusa Senatui populōque
 Romano pecunia, publicisque palam ædi-
 ficiis impensa conuincit. Sed & hoc im-
manius est, quod redemptā sanguine Chri-
sti prostituit libertatem, quatenus Eccle-
sia, quæ iure suo cunctis semper est domi-
nata Principibus, Officialis sui mancipare-
tur obsequio, quo & incomparabilis priui-
legium maiestatis amitteret, & ad misera-
bilem statum conditionis nouissimè deue-
niret. Et nos quidem non potuimus hæc
oculis præsentibus intueri, sed veritas ad
nos per eos qui viderūt fideli relatione per-
uenit. Quod autē publicè gestum est, mul-
torum nobis testimonio potuit confirma-
ri, præsertim cùm testes præceptæ dignita-
tis honore præfulgeant, & simplex absolu-
tam reddat concordia veritatem. Hac igi-
tur parte de qualitate negotij, & persona-
rū meritis æstimata, iocundum mihi est
ad partem alteram oculos animūmq[ue] cō-
uertere, & opus eorum qui elegerunt per
singulas partes toto mentis gaudio cōtem-
plari, cīque referre gratias, qui sancto colle-

E. iiiij

Ostan. Simoniaca

Trinaghtus p[er]sona
nula 15p. 27b. 30

Alexandri aca-
tio.

ARNVLPHI EPISCOPI

gio vestro prudentiam contulit & virtutem, qua & serpentis declinare malitiam, & grassantis superbiæ valuistis repellere prauitatem. Sed neque nomen partis tantilla eorum meretur exceptio, nec vniuersitatem nostram partis decet appellatione censeri, quia perditorum segregatio munerum non minuit electorum, nec detrimentum sentit area domini, si granis manentibus paleæ ventilabro purgante discidunt. Igitur omnia recensenti manifestum quod sanctitatis zelus consecravit initia, processum iuncta prudentiæ fortitudo direxit, patientia debito consummabit effetu, pacem Deo volente perseverantia fides inconcussa præstabit. Nihil hic carnale, nihil terrenum, nihil vestri ad priuatam utilitatem oculi respexerunt, sed ad commune bonum, & honorem Ecclesiæ, totis vos constatañhelasse desideriis, totis viribus insudasse. Prædicabitur itaque nomen vestrum, & à mari usque ad mare excellètiæ vestræ gloria personabit, formamque dabit posteris & exemplum, ne à iustitia & veritate persecutionis cuiuslibet errore discedant. Ad hæc, spiritus quoque testimonium perhibet spiritui nostro, quia

nobiscum scismaticum illum publica om-
nium conscientia respuit & condemnat,
& electum nobis Antistitem sinceræ cha-
ritatis & reuerentiæ brachiis amplexatur.
Opera siquidem illius manifesta sunt, ope-
ra scilicet maledictionis & scandali, opus
autem istius in benedictione est, & fauor
eius in gentes quotidie conualescit. Corda
enim omnium nobiscum sunt, eorum etiam
quorum linguae nobis qualibet sacerdotali
necessitate reclamant, adeo ut si nondum
de corporibus, de cordibus tamē omnium
verum sit Ecclesiam triumphasse. Nonne
enim in eos qui ab hac fidei unitate dissen-
tiunt ultio diuina manifestè procedit, &
voluntas eius evidentibus indiciis declara-
ta patescit? Nonne Princeps ille, cui simi-
lē à multo tempore Roma non habuit, cu-
ius dominus apprehendisse dexteram di-
cebatur, cuius ferè usque ad remota O-
rientis terror excesserat à die suscep-
tions Oct. diuino coepit iudicio reprobari,
adeo ut hi quos ante securos mœnia non
reddebant, congradi cominus ausi sint,
& ei de prosperitate successuum insulta-
re? Re vera digitus Dei est hic, dexteræ
excelsi repentina mutatio parcentis adhuc

do fridario.

ARNVLPHI EPISCOPI
& in ira corripere differentis. Utinam sa-
peret, & intelligeret, & nouissima prouideret,
quia tot detrimenta præsentiu[m] quæ-
dam sunt indicia futuroru[m]. Omnibus igi-
tur ab initio ritè perspectis, domini & pa-
tres mei, magna vos conuenit exultatione
gaudere, quod de omni carne singulariter
estis ad hoc tempus electi, per quos fidei
veritas, per quos forma iustitiae, per quos
Ecclesiæ libertas inconuulsa seruetur.

Quod enim nos in hac vobiscum vnitate
consistimus, quod hæreticam prauitatem
cum suo detestamur auctore, vobis debe-
tur gratia, qui cœpistis, à quibus nos aucto-
ritatem duximus & exemplum. Ipsi itaque
duces nostri, ipsi re vera de fortissimis Is-
rael estis, quibus lectulus Salomonis datus
est, propter timores nocturnos fidelibus
excubiis ambiendus. Ad vos, velut ad lu-
cernam super candelabrum positā, Orien-
tal is pariter & Occidental is concurrit Ec-
clesia, sed ad insulas quæ procul sunt, sonus
veritatis exiuit, à quibus, tāquam à finibus
terræ, plerique iam per discrimina multa
venerunt audire sapientiam Salomonis.
Licet enim nos plurima locorum spatia
disiungant, charitas semper indiuisa con-

iungit quos vnu spiritus, vna fides, vna cōfessio ditigit ad salutem. In hac decreuimus vobiscum constantia permanere, in hac vobiscum viuendum est, in hac cūm voluntas diuina decreuerit moriendum, quia neque mors, neque vita, neque aliquid vñquam ab huius nos sententiæ professione seiunget. Interim si domino nostro & vobis nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet deuotio charitatis absentiam, quoniam venerabilibus patribus nostris sedis Apostolicæ legatis assistimus, cum eis toto studio sanctæ Romanæ Ecclesiæ vtilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfeccio, vt eis plus gratiæ merita contrahant, quam terroris reuerentia disciplinæ. Viri sunt, quorum sanctitatē miratur populus, sapientiam clerus usquequa collaudat, ad virtutem seueritatis Principes expauescunt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperant, vt neque seueritas disciplinæ pereat, & in omni parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia conualescat. Porro superfacto illo, in quo Regé Francorum aduersus eos scandalizatum

Lega/ho.

ARNVLPHI EPISCOPI

audistis, prorsus excusabiles sine omni dubitatione credatis, quia nunquam ad consensum dispensationis illius pertrahi potuissent, nisi eos inexpugnabilis necessitas, & inestimabile bonum recompensationis illicè venturæ traxisset. Conuenerant siquidem ex mandato Regum venerabiles de regno utriusque personæ, ut de Romanis Pontificis susceptione tractaret, de quo nihil adhuc publicè fuerat constitutum. Stabat itaque fratres illi causam Ecclesiæ, non sine magno discrimine, prosequentes, quoniam apud plerosque fauor iniquitatis conualuerat, adeo ut qui manifestæ repudium veritatis suggere non audebant, differendum potius, sæculari quadam astutia prædicarent. Euentum scilicet rei dubiæ potius expectandum, quam subiiciendam fortuitis cæsibus tantorum Principum maiestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis inuolui, • quos securius illæsos sola poterat expectatio conseruare, Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus, iugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Soluendum morte alterutrius quæ-

stionis incertum, atque interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere, donec diuina volūtas signis euidentioribus appareret. Accedebat legatorum Imperatoris & Cardinalium, maledicti scilicet Iohannis & Guidonis instantia, quibus dari videbatur de modica dilatōne triumphus, si fratres vestros vcl ad modicum tempus quælibet occasio suspenderet. Præterea cùm animos regum in fauorem domini nostri omnium cōscientia crederet inclinatos, in partes Imperatoris cessisse dilatione præstata crederentur, & paulo minus detrimenti suspicio, quām notitia fortè veritatis afferret. Sed & Rex Francorum rei diffinitionem Regis Anglorum voluntati commiserat, nihil se facturum publicè contestatus, nisi quòd ipsius ei sententia prædictasset. Præualuerat itaque cōsilium dilationis, ut quanto spacioius, tanto utilius utrius Regi posset esse consultum, atque interim aliqua possent de ipsis eventibus auspicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum tota causa pēdebat, exaudiendus erat potiùs quām seueritatis alicuius austeritate terrendus, de cuius simplici fauore in momento Francorum,

ARNVLPHI EPISCOPI

Anglorum, Hispaniæ, Hiberniæ, & nouissimè etiā Norguegiæ, regna cœpistis. Sed & vnde quis orituram super eo præsumplisset offendam, quod ab initio pro bono pacis scripto etiam interueniente, Regum sanctitas, religio Præfulum, Principum fides, populi congratulatio deuota firmavit, nec rei efficientiam communibus regulis, sed quod magis accelerari posset, Ecclesiasticæ potius indulgentiæ destinauit. Quod si quid de indulgentia contra easdem regulas cōstat esse delictum, nihil tamen criminis intercessit, vulnusq; modicū totius operis sanitas asseruata cōpēsat. Hic certè zelus eorum, hęc fuit dispensationis intentio, quam non vtronea voluntas obtulit, sed importunitas necessitatis extorsit, quoniam si ea die sermo non fuisset consummatus in bonum, proculdubio fratres vestri repulsam diutinam vel perennem, sub dilationis imagine reportassent.

Ad Dominum Papam Alexandrum. 3

G Rata mihi refulget occasio, multis expectata temporibus, multis artibus exquisita, videndi scilicet faciem Domini mei, & matrem meam sanctā Romanam Ecclesiam

visitandi. Iocundum est me quibuslibet of-
ferre periculis, quibuslibet inferre labori-
bus, ut merear aliquādofrui desiderato ve-
stræ serenitatis aspectu, & iocundo sacri
sermonis alloquio recreari. Iturus alia vice
fueram destinandus à Principe, sed impor-
tuna me bellorum emergentium retraxit
inuidia, quibus transigendis studium dili-
gentiæ meæ, cùm necessitas Ecclesiæ, tum
Reipublicæ requirebat vtilitas. Quod si
quidem iter desiderio magis quàm impe-
rio mandantis assumpseram, vt impetrata
potiùs quàm iniuncta legatio videretur.
Nunc autem cōpositis omnibus non mis-
sus, sed sola deuotione ductus, aduenio ad
exhibēdum bene placito domini mei cor-
pus & spiritum, ad impendendas vtilitati-
bus vestris omnes tanquam ex debito pe-
culij facultates. Attamen ut veniam, opor-
tuit me causas quasi necessitatis inquirere,
quia nequaquam mihi patuisset egressus,
nisi aliqua crederer importunitate com-
pelli. Cùm enim principi nostra semper sit
officiosa præsentia, non tam me deuotioni
meæ morem gerere, quàm ad publicas vti-
litates & sua vellet obsequia retinere. Cùm
autem venero, facie cōparebit quid ascri-

ARNVLPHI EPISCOPI

bi deuotioni, quid necessitati debeat imputari. Nemo igitur non ex animo quidem, sed tamen verbo tenus impetrata licentia, si nolui mihi de silētio ipsius facere quæstionem, quoniam & si non facies oculis, votis tamen oratio respondebat, nec abiicienda videbatur occasio, quæ tanto desiderio quærebatur. Venio, inquam, non insidias hostium, non itineris difficultates, non aëris intemperiem, non iniurias maris attēdens, ea certè fiducia, quoniam merita vestra precedent faciem meam, & Deo volente, de omnibus locis obstantia quælibet amouebunt. Interim indicandum vobis censui compositæ necessitatis astutiam, quæ me à Regiis occupationibus reddidit absolutum. Reportauerunt Sylvester Thesaurarius Ecclesiæ meæ, &

*Iorat Saganius cuius
anniversary ut habeat
ex fidei spissitate*
Ioannes Nepos Sagani Episcopi ad Cenomanum & Abrinconensem Episcopos litteras à sede vestra, super quibusdam causis aduersus me absque omni appellationis remedio terminādis. Quarum cognitioni dominum Willelmum Parisiensem, sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, contigit interesse, ipsoque præsente prædictus Thesaurarius omnes querimonia quas habebat

bat refutauit in manibus iudicu[m], & quod
cas aduersum me deinceps non moueret
fide corporaliter interueniente firmauit.
Ego autem ei eorum intercessione gratiam
reddidi, & licet ingratus manifestusque ca-
lumniator in omnibus appareret, delictum
omne eaque plurimumque inter necessi-
tudine iunctos vertitur, facilitate remisi.
Verum Ioannes, cū hinc inde rationibus
diligenter auditis contrariam sententiam
reportasset, ad solatium confusionis suæ
magis, quam ad causæ remedium, sedem
Apostolicam ad Kal. Februari. appellauit,
licet de medio omnem appellandi licen-
tiam, eo quod ipse à vobis reportauerat
oraculo sustulisset. Cùm itaque rebus iu-
dicatis standū sit, præsertim vbi nulla pos-
sunt appellatione suspēdi, certum est quia
ad refractionem rei iudicatæ nulla me ne-
cessitatis trahit instantia, sed optatam duxi
de appellatione materiam, ne vestram sci-
licet viderer reuerētiā neglexisse, si pro-
uocatus ad vestram præsentiam non ve-
nissim. Cæterum quia tot pericula fallere
temeraria festinatione non possum, oport-
ebit me fortassis ad complanandos tran-
sus, & præparationem securitatis, spatio-

ARNVLPHI EPISCOPI

sum tempus impendere. Ideoque si Iohannes ille praeuenerit, bonum vobis erit & vtile, ut ipsum usque ad nostrum detinatis aduetum, quia auiculum eius & ipsum in personam vestram & statum totius Ecclesiæ grauissimè deliquisse, manifesta vobis veritate constabit.

*De regulariis ab
refraueniis
et
eis S. Sag.*

Ad eundem.

Et quiddam in quo maiestatis apud vos reus inueniar, nisi vestram fidelibus indicis praemunerio sanctitatem. Habuit Ecclesia Sag. Episcopum, cui me fraterni sanguinis necessitudo coniunxit, sed aetius gratia beneficentiae liberalis astrinxit: hic cum predictam Ecclesiam suscepisset, magnam temporalibus curam, maiorem spiritualibus homo sanctus impendit. Ipsam igitur thesauris ornatam, instructam ædificiis, possessionibus reddidit ampliatam, adeo quod pro **xiiii.** Canonicis quos seculares appellant, ipsisque pauperibus, moriens ibidem **xxxvi.** Canonicos regulares cum omni ædificiorum sufficientia, & reddituum copia dereliquit. Cumque eam in temporalibus nobilem reddidisset, in

spiritualibus semper nobiliorem studuit exhibere vir magnificus, & omni sanctitate laudabilis, cui nec sanctitas magnificen-
tiam tolleret, nec magnificentia sanctita-
tem. Quod bonum à prædecessoribus ve-
stris viris Apostolicis, Honorio primùm,
postmodum Innocéto, denique Eugenio
& Adriano cœptum est & firmatum, præ-
cedente siquidem glorioſſimi Regis An-
glorum Hériti deuotione, qui ob eandem
causam Ecclesiæ bona contulit, & præce-
pti regalis valituro in perpetuum munimi-
ne roborauit. Cúmque res hæc à prædicto
viro religioſſimo Honorio traxisset ini-
tium, ab irreparabili viro Innocentio me-
ruit incrementum, cuius auctoritate præ-
dictus Episcopus electus ab Ecclesia san-
cti Victoris Parisiensis personas accepit,
quarum sanctitas & prudentia suis meritis
tantæ rei posset initia cōsecrare. Quorum
studiis tantum inter varias tribulationes
sanctū opus excreuit, ut inter omnes Gal-
licanas Ecclesia illa cœperit de nobilio-
bus illius ordinis æstimari, si quis circa eos
hospitalitatis gratiam vel ordinis vellet at-
tendere disciplinam. Porro ne qua posset
oriri sacerdotalitatis in posterum reuocandæ

ARNVLPHI EPISCOPI

suspicio, & quia potior fructus poterat de regularium administratione sperari, statueſt & Romanæ Ecclesiæ nihilominus au-
ctoritate firmatum, quod in regulares per-
sonas sicut præbendæ, ita & archidiaco-
natus, & omnium rerū tam potestas, quam
administratio conferretur, ita nimis, ut
omnes obuentiones deberent in commu-
ne referri, ne cupiditati daretur occasio, si
cas liceret priuatis v̄sibus applicare. Quod
adeò verū est, ut defuncto s̄pedicēto Epis-
copœum qui successit episcopati Ecclesia
Romana nulla ratione permiserit, donec
eundem ordinem in propria persona pro-
fessus est; & quod ipsum in Ecclesia fide
bona seruaret, iuramento corporaliter in-
terueniente firmauit. Tantus siquidem fa-
uor religionis extitit apud eam, ne statuæ
aureæ, quod absit, caput æneum ipsius op-
ificio diceretur affixum. Verùm Episcopus
iste qui ad præsens, Domino permittente,
successit, detestabilem cōcepisse prædica-
tur affectum, scilicet plantationem hanc
penitus euellendi, destruendique bonum,
quod fidelium deuotio, quod auctoritas
Principum, quod sanctorum religio,
quod Ecclesiæ Romanæ priuilegia dura-
turo in perpetuum anathemate firmaue-

runt. Quod si totum à discretione vestra non poterit impetrare, archidiaconatus saltem ad sacerdtales studebit reuocare personas, scilicet ut habeat carnalis affectio quod nepotibus tribuat & propinquis. Sed hunc ipsum pietatis specie palliabit effectum, dicturus Ecclesiam illā idoneas non habere personas, quae talibus sufficere proponentur officiis, tanquam si sanctæ simplicitati præualere debeat sacerdtales astutia, aut de Ecclesia sancti Victoris, aut sancti Rufi, vel aliis similibus personæ nō possint auctoritate vestra ad hæc officia dispensanda trāsferri. Et ego quidem Ecclesiæ illius archidiaconus extiti, ipsiusque beneficiis educatus sum, ipsius institutionibus eruditus, iustumque est ipsius me semper detimentis occurrere, & utilitatibus debita diligentia prouidere. Sed & bonum quod tanto domini & fratri mei labore contractū est, humeris meis sustinendum memoria fraternalis charitatis imponit, propter quod inter me & Episcopum loci illius cùm domesticus noster extiterit, multisque à me beneficiis sit præuentus, nouiter est oborta discordia, quia fratum illorum iniurias sustinere non poterā, cīque ad ordinis sub-

ARNVLPHI EPISCOPI

uersionem, opem & cōsilium non præstabam. Vnde illum & eos qui cum ipso sunt tanquam aduersarios nostros & manifestos hostes sapienter accipite, quoniam vltrices linguæ neque fidem, neque facilem promerentur auditum. Quod si fortè preces aliquæ super hac causa vobis porrectæ sunt, securè tanquam subrepticias æstimate, neque necesse est Ecclesiam aliquod propter eas pati dispendium, quoniam ad conseruādām vobis fidem & gratiam eius à quo missæ sunt, satis erit absque omni offensa si in propriis postulationibus fuerit exauditus. Ad summam loquar ad dominum meum, cùm sim puluis & cinis. Iocundum sit ei eloquium meum, ut piæ postulatio voluntatis optati gratiam consequatur effectus. Domine personā vestram publica commendat opinio, animosque & aures omnium operum vestrorum expectatio curiosa suspendit, dum malignandi materiam venatur iniqitas, & gloriam nomini vestro deuotio fidelis inquirit. Absit igitur à vobis ut prædecessorum vestrorum sancta plantatio vestrīs conuellatur manibus, vestrīs viribus extirpetur. Absit ut per vos tot Romanorum Pontificum

LEXOVIENS, EPISTOLÆ. 44
anathemata ducantur in irritum. Absit ut
per eos remota sacerdotalis auctoritatis ve-
stræ sententia reuocetur.

Ad eundem.

de cardin. v.

I ad vestrum literæ peruenere
confpectum, quibus ego mai-
starem vestram studui præmu-
nire, super zelo quem ad remo-
uendam de Ecclesia sua religionem, Sag.
intendit Episcopus, miror admodum, mul-
tique mirati sunt, quomodo factum huius
modi, scriptumque publicum super eo fa-
cto vestræ potuit subripi sanctitati. Quid
enim? Episcopalem Ecclesiam miserabili
paupertate damnatam, religiosus Episco-
pus redditibus, ædificiis, ornamentiis, & ea
ad quam plurimum intendebat religione
fundauerat, ipsamque de paupere diuitē,
prædicabile de obscura: de ignobili, si dici
fas est, fecerat gloriosam. Quod factum to-
ta sanè partium nostrarū venerabatur Ec-
clesia, omnisque ubique religio commen-
dabat, si quis vel effusam in omnes chari-
tatem, vel ordinis vellet attendere discipli-
nam. Nec ab ipso tantum hoc, sed multa-

F iiiij

ARNVLPHI EPISCOPI

rum venerabilium personarū studiis, multarum fuerat auctoritate perfectum, quoniam ad studia laborū eius prospera semper optati prouentus auspicia concurrebant, adeo ut ad constitutionem Ecclesiæ illius contendere virtus & fortuna videbantur. Exultabat Apostolica sedes, quod prima tantæ religionis fundamenta ecclisiaset, quod promotionem eius continuo fouere non destitisset auxilio, quod consummationem eius priuilegiis, & valituro in perpetuum anathemate cōmunisset. Omnibus siquidem priuilegiis cius in perpetuum vice salutationis inuenitur ascriptum, quo manifeste voluntas declaratur auctoris, quod id stabile fore voluerit, non alienis reliquerit arbitriis immutandum. Res quippe transitoria titulo perpetuitatis non meretur inscribi, quoniam quæ taliter inscribuntur, vel perseverantiæ statum retinent, vel tituli falsitatem. Quod autem dicitur prædecessorem successori suo legē dare non posse, vel præcisè falsum est, vel omnia possunt impunè sanctorum patrum instituta cōuelli, quorum tamen sapiētiā narrant populi, quorum laudem Ecclesia nuntiat, & sepulchra eorum frequentibus

*Prædecessorū
institutiōne quib
caſib mutanda
vol. vole rando.*

miraculis gloria magnificetix cælestis illustrat. Priuilegia siquidem Romanorum Pontificum, quasi quædam ipsorum testamenta credenda sunt, nec à morte testatoris exspirant, sed potius ab ipsa contrahunt firmitatē, nec defectu personæ sublata perit auctoritas eorum quæ religiosè semel instituta noscuntur. Nos tamen errores prædecessorum à successoribus posse corrigi nō negamus, & ipsorum etiam in melius posse bona mutari, vbi maior scilicet mutationem suadet utilitas, nullumque sentit religio detrimentum. In præiudicium siquidem religionis nihil agendum est, cui quicquid aduersatur diuinæ constat contrarium esse voluntati. Quan-

nimirū ratione sæculares Canonicos quos appellant, pro regularibus inducendis vidimus amoueri, licet Ecclesiæ eorum in eo statu aliqua sedis Apostolicæ priuilegia meruissent. In quibus constat aduersus priuilegia nihil esse commissum, in quibus auctoris animum potius contemplari conuenit, quam apices amplexari, quoniam in nullo voluntas ipsius offenditur, vbi voluntatis intētio fideliūs obseruatur. Si quid autem humanius fuerit institutum, quod etiā

ARNVLPHI EPISCOPI

sedis Apostolicae scripta confirmant, eo
nec perfectionis prouectus excluditur,
nec deuotioni terminus assignatur. Sem-
per enim in anteriora liberè debent stu-
dia sanctitatis extendi, sicque oportet in-
terpretari quæ scripta sunt, ne nostris vi-
deantur processibus inuidere, quia tunc re-
ctè suus minori bono fauor impenditur,
cùm nequaquam boni maioris incremen-
ta tolluntur. Ecclesia enim eos qui ad su-
periora desiderio perfectionis aspirant, non
permittit occasionibus impediri, quin li-
bero erumpant ad maiora consensu, sicq;
primæ imperfectionis priuilegia remouet,
vt gratiam nouæ perfectionis amplectens,
vetera nouis non tam videatur soluere,
quæam implere. At vero sacras veterum in-
stitutiones in deterius deuocare non con-
uenit, nec auctoritatem præbere defectus,
vt inde fomenta comparentur audaciæ,
vnde timeri debuit seueritas disciplinæ.
Planè sunt quædam quibus, vt fiant, con-
fessum adhibere non licet, quæ tamen si
facta sunt, dissimulare necesse est, quia non
possunt habere remedium: vel si quid re-
cōpensationis habent discreta māsuetudi-
ne dispensare. Culpam tamen indulgentia

præuenire non debet, ne securitas alat audaciam, & ad delinquendum fiducia remissionis inuitet. Debet ergo seueritas prohibitos cohibere conceptus, ne temerario compleantur effectu, debet nihilominus excessus illicitos congrua animaduersione punire, nisi reum vel violētia potestatis eripiat, vel poenitentia temperet disciplinam.

Tunc enim in potestate iudicis est mollire sententiam, & mitius iudicare quām leges, cūm rerum vel personarum merita postulant, aut instātia necessitatis extorquet. In æstimanda tamen necessitate non conuenit pusillanimes inueniri, ne virtuti subduxisse materiam, vel de diuina videamur gratia desperare. Scio quosdam dispensationum prodigos tātē benignitatis existerē, ut nihil referuēt legibus, affectibus omnia largiantur, nec offensam rationis attendunt, dum hominum sibi præcauisse videantur offensam. Metuntur igitur affēctatos de prærogatiua potentiae suae, potius quām de merito rationis effectus, & nomine necessitatis indulgentiam quamlibet excusantes, diuinæ gratiæ bonitatem non sustinent experiri, sed humanum fauorem p̄x omnibus auspicantes, fugaces auras &

*Judeo quando-
mīhōr s̄c̄y.*

dispensatoru

ARNVLPHI EPISCOPI

inanes ventos studiis fallacibus amplectūtur. Quieti scilicet Ecclesiæ prouidere se prædicant, cuius prostituunt libertatem, & maiestate in redigunt in contemptum, quæ tamen in virtute sanctorum debet apparere terribilis, ut castrorum acies ordinata. Solebat siquidem terribilis supremis potestatis imminere, earumque patiēter expugnare potentiam, dum tribulationibus constanter exposita, liberationem non nisi de liberatore pauperum expectabat. Liberat enim Dominus pauperem à potente, & inopem cui nō comparet adiutor, quoniam fidelis est, ne que vires nostras patitur viribus temptationis excedi, sed facit cum temptatione prouentum, ut possimus sustinere. Verumtamen nos gratiam istam pusillanimitate desperationis excludimus, quoties desperato virtutis effectu humannis fauoribus inclinamus, & accelerato veritatis iustitiæque naufragio salutaris experientiæ præpedimus euentum. Oportebat magis secundum doctrinam Psalmistæ, sperare in Domino & facere bonitatem, quoniam non derelinquit sperantes in se in tempore tribulationis, & in die superborum sine adiutorio. Oportebat in man-

datis cius & iustificationibus exerceri, non statim manus imbelles captiuandas offerre, quia non potest sequi sine cōcertatione victoria, nec corona sine legitimo certamine prouenire. Lex autē certaminis est, *lex certaminis* uti viribus, virtutē patientiæ & longanimitatis amplecti, nō inter initia trahi fauribus, & desperato diuinæ bonitatis auxilio cedere, quoniam qui sperant in eum nō confundentur: qui autem hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Nonne utilius erat ipsam hominū gratiam de diuina bonitate sperare, & non ei de diuinitatis offensa parare materiā, cū corda etiam Regum in manu Dei sint, & ea quò voluerit, inclinabit. Ad H. experiento didicimus diuino quodam iudicio sæpius euenire, quod hi qui ob affectationem fauoris humani reuerentiam diuinæ maiestatis offendunt, diuinæ quidem dispendium faciunt, sed humanam quam affectauerant minimè cōsequuntur. Sicut enim disciplina cautelam, sic insolentē pronior indulgentia creat audaciam, gratuitūmque liberalitatis alienæ beneficium suorum reputat præmia meritorum, ipsumq[ue] quandoque beneficium putant

ARNVLPHI EPISCOPI

iniuriam, quod minoris propria existimatio-
ne fuerint æstimati. Quod ego vobis in
hoc facto vereor accidisse, sicut sanctitati
vestræ post modū euidentibus liquebit in-
diciis, cùm ad aures vestras veridica rela-
tione peruererit, quāta malignitate & au-
dacia prædictus Episcopus infirmitatem
status vestri publicè prædicauerit, & ho-
stium Ecclesiæ victoriam rediens dixerit
imminere. Extant qui audierunt per quos
vobis hæc & alia maligniora suo tempore
pleniū innotescunt, ut nulla fidem verita-
tis suspicio debeat impedire. Loquar tamen
interim ad Dominum meum, vtinam cō-
placeant ei eloquia mea. Loquar inquam,
quia apud eū mihi sermo est, apud quem
non eget vel intercessore religio, vel iusti-
tia defensore. Domine quotquot ordinis
illius obseruantiam profitentur aut dili-
gunt, per omnes Gallorū Ecclesias & An-
glorū, auditio hoc verbo scandalizati sunt,
quærentes quid antecessorum vestrorum,
quid denique vestrum tam recens soluerit
anathema, cùm nulla vis necessitatis ap-
pareat, nec tanto vulneri remedium ali-
quod aliqua recompensatione videatur af-
ferri. Omnes redditus, & omnes obuentio-

nes archidiaconatus illius, quæ ad commun
nes usus regularium fratrum fuerant assi
gnatæ, sine causæ cognitione sublate sunt,
atque vnius personæ ipsiusque sacerdotalis
sumptibus attributæ. Quærunt igitur de
iure quod suum est sine iudicio spoliati,
subductoque quod pauperib⁹ solebat ero
gare religio, nihil sc̄ præter vacuas manus
exhibere deplorant. Procedit interim in
ter cilicia pauperū fratrum & sordes, car
tularij filius sericis adornatus & variis, quæ
ipſi iniisæ dissimilitudinis animal intuen
tes, quasi seminarium quoddam reuocan
dæ sacerdotialis tacitis, quod solum audet,
animis execrantur, condemnant. Auget
metum quod alius adhuc vacans archi
diaconatus in eadem seruatur Ecclesia, mi
nori nepotulo conferendus, quam citò in
legitimam ætatem videbitur excrescisse.
Præterea Priore clauſtri remoto, quia
acrioris ingenij credebatur, & ad iniurias
Ecclesiæ non filebat ex conscientia, Epis
copus Priorem constituit idiotam, ut ipse
scilicet locum suppleat idiotæ, & bona co
rum in usus proprios sine contradictione
conuertat. Agite ergo, & Apostolicam vo
bis domesticæ seueritatis reuocate pru

ARNVLPHI EPISCOPI

dentiam, ut quod sanctitati vestræ subreptum est, ipsa sanctitas vestra reducat ad formam, quatenus sanctæ institutionis reformatur integritas, & ad vites pristinas tam vestra quam prædecessorum vestrorum priuilegia conualescant. Sic enim obstruetur os loquentium iniqua, & in laudem & gloriam nominis vestri fideles vestri libertate solita proclamabūt, & exempli terrore sublato status Ecclesiæ tranquillitate pristina conquiescet. Timeo ne audacius forte loquutus sim, quam vestræ debuerim maiestati, sed me sanctæ opinonis vestræ zelus impulit ad loquendum, & Ecclesiæ illius indigna contritio, cui multis ex causis ab antiquo sum plurima charitate deuinctus. Scio quia acceptior erit in auribus vestris diligentis deuota præsumptio, quam fallax assentatio blandiētis.

Ad eundem.

Epirula comensularia



Voties aliquis apud maiestatem vestram humilitatis nostræ precibus expetit adiuuari, honestatis & iustitiae diligentius habendam considero rationem, si personam

personam honestas, vel causam videatur iustitia commendare. Hæ etenim duæ virtutes sunt quas apud excellētiam vestram nullo patrocinio nouimus indigere, quibus vltro gratiā exhibetis, cùm altera vos in præconium, altera mundo proposuerit ad exēplum. Hoc nimurum prætextu pro P. Pictauiensi Archidiacono precaturus accedo, quem Ecclesiæ suæ vtilem perhibent tum sedulitas officij, tum beneficentia in subiectos, tum bonitas in consortes, tum denique circa Ecclesiam suam nouarum amplificatio facultatum. Iccirco si causæ ipsius qualitas inquiratur, id iuris se in quodam Archipresbyteratu suo contentit habere, quod tam ipsi quām omnibus aliis Archidiaconis in omnibus Archipresbyteratibus suis vetus Ecclesiae illius consuetudo confirmat. Porrò superuacua videtur quæstione vexari, cùm sola sit de sola Archipresbyteri electione contentio, cū ab Archidiacono facta ad Episcopale de cōsuetudine referatur arbitrium, eāmque potest auctoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare. Cæterū si eo inuito in Archidiaconatu eius Archipresbyter fuerit institutus, plurimum vtilitatibus eius & hono-

ARNVLPHI EPISCOPI
ri constabit esse subtractum, cùm ei in Ar-
chidiaconatu suo alias quodammodo Ar-
chidiaconus annascatur.

Ad eundem.

 Vibus periculis exponere, quibus
impendere laboribus personam
meam destinauerim, ut mereret
ad sublimitatis vestræ venire conspectum,
nouerūt hi qui proinquitum meum ad ter-
ras peragrandas, & maria pariter exploran-
da viderunt. Iturus eram, sed iter meum
diuulgato fama præcessit indicio, ut facile
mihi possent insidiæ præparari. Ego enim
homo sum cui celebrē multæ causæ con-
tulere notitiam, & cui apud hostes Eccle-
siæ plurimam zelus iustitiæ contraxit in-
uidiam, sibique crederent successisse, si in
persona mea & malignitati suæ satisface-
re, & vestram possent offendere maiesta-
tem. Retinuit itaque me Rex noster, qui
mea quidem voluntate præcedente mitte-
bat, negotiāque sua partim distulit, partim
minotibus nunciis perferenda commisit.
Intra pectus itaque meum maior anhelan-
tis desiderij fero exæstuat, dilationem

LEXOVENS. EPISTOLÆ. 50

hanc quasi vulnerati cordis affectione deplorans, quod pedes vestros amplecti, & serenitatem vestram mihi non datur oculis præsentibus intueri. Facio interim quod possum, & me totum honori & utilitati Ecclesiæ, quoties occasio refulget, impendo, tata siquidem voluntate, ut à plerisque de immodestia videar arguendus. Animo enim diligenti nihil satis est, neque magna deuotio cuiuslibet operis exhibitione placatur, sed suos semper in anteriora conatus extendit, hoc vobis apud me studium, hæc continui laboris instantia, hic irreuocabilis perseverantia viuit affectus.

Adeundem.

Epistola comandatoria

Dominus Remiba. Aurelianensis amicus noster est, mutuisq; obsequiis plurima nobis inuicem sumus charitate cōiuncti. Inde est quod nostris ad præsens apud maiestatem vestram precibus petiit adiuuati, ea nimis fiducia, quia nouit quod vota nostra apud benignitatem vestram desideratum crebrius consequuntur effectum. Priuavit eum sententia vestra præcentoria, quam

Gij

ARNVLPHI EPISCOPI

*dicitur finianus
modestus in quatuor lib.* habebat pro delicto quodam, quod ipse, sicut asserit, non de malitia qualibet, sed de sola simplicitate commisit. Existimauit enim factum illud ad tenorem iuramenti publici non spectare, neque se religionem credidit excedere sacramenti, si non communicabat aliis quod singulariter de sola ipsius voluntate p[ro]debat. Cōuentus autē à fratribus non restitit improbē, nec superbē respōdit, sed statim errorē suū, si tamē error erat, ad publicā voluit corrigere volūtatē. In quo si certū est nec præcessisse malitiā, nec superbiā successisse delicti quātitas fines clemētiæ nō excedit, poteritq; ex hoc nūc Rom. Pōtificis misericordia subuenire, in qua nobis diuina bonitas & remediū salutare constituit, & refugium singulare. Si quidem quantum ad culpam satis vindicatum est, quia homini verecundo ad maiorem pœnam confusio, quām magna etiam detrimenta procedit. Porrò cùm ei ad veniam simplicitas, nihilominus ad gratiam deuotio suffragatur, quia verum est ipsum semper Romanæ Ecclesiæ secundum facultatem suam humilibus obsequiis inservuisse. Pro omnibus itaq; quæ prædicta sunt fiducialiter accedimus ad rogandum, &

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 51
quia gloriosum nobis erit tantum à digna-
tione vestra beneficium impetrasse, & io-
cendum aliquid consolationis amico in
tanta amaritudine perquisisse.

Ad eundem.

REGRESSUS ab Anglia ad pedes
vestræ beatitudinis ample-
ctendos debui cucurrisse, sed
expectanda fuit occasio, qua
me magis traxisse necessitas
videretur, quam deuotio perduxisse. Ani-
mus siquidem Principis nostri aliquantu-
lum ab ea, qua sanctitatem vestram olim
complexus est, charitate descivit, adeo ut
inter familiares suos quandoque conque-
stus sit se minorem in vobis quam spera-
uerat gratiam inuenisse. Ait in oportunita-
tib⁹ suis vos esse difficile, in postulationib⁹
scrupulosum, acceptos vobis esse & iugiter
in Curia demorari quosdā, qui mendaciis
suis gloriam Regiæ serenitatis offuscant.
Conuenire siquidem ad Apostolicam se-
dem ex multis partibus multos, quorum
aures illi prauæ veneno malignitatis infi-
ciunt, ut sic opinionem eius quasi trans-

ARNVLPHI EPISCOPI

missa ad omnes gentes delatione denigrēt. Furtiuè quidem id agi, vt iniquitatis operante mysterio quātō magis res silētio premenda dicitur, tanto diffundatur in plures, quātōque secretius agitur, tantō sit efficacior ad nocendū. Non tamen arbitratur id de vestra cōscientia vel volūtate procedere, sed eis de diuturna apud vos commoratione paratur occasio, & audaciam comparata assiduitas impunita fallendi. Addit impetratu facile quicquid ab eius æmulis implotatur, vota autem eius exquisita subtilitate discuti, vel tædiosa dilatatione suspensi. Si quos ergo de suis viros auctoritatis loquor ad præsentiam vestram venire contingat, hi qui familiarius ei assistūt, incertum suspicionis in malum, fallaci statim adulazione cōfirmant. Cōsuevit enim illud hominum genus de minimis maxima fabricare, & sicut inter eos nulla fides est, sic nullus vere charitatis affectus, ynius cuiusque studiū, alium quibus potest modis excludere, vt solitariæ sibi familiaritatis priuilegium gaudeat adquisisse. Accessurū sibi putat quicquid alij fuerit derogatum, prouentūsque suos reputant, aliorum semper vtilitatibus obuiare. Ego igitur qui

quantum damnosa sit suspicatio Principū, licet innocens, frequentibus detrimentis agnoui, occasionem censi postulandam, qua vel ab eo sicut quādoque mitterer, vel aliqua me trahere necessitatis instantia videretur. Quæ quia differebatur, nihil enim onerosum mihi vestræ gratia benigitatis imponit, mittēdum duxi, ut diligentis absentiam legatio suppleat, quæ bene meritæ maiestati vestræ deuotionem meam, tam viua voce, quam literis repræsentet. Vester sum sanctæ Rom. Ecclesiæ tā verna, quam filius, cuius me assiduè reminiscor exhilatratum gratia, præuentum beneficiis, honoribus ampliatū. Nihil vnquam partantæ dignationi referam, nihil dignum tot meritis exhibeo, sed & si non debitorem operis exhibitio, perfecta tamen charitas consummatæ deuotionis absoluit.

*Bratianus ad hunc.**Ad Gilleb. London. Episcopum.**Commentaria.*

Gloriosus ator præsentium amicus noster est, nostrisque petit precibus apud vos adiuuari, eoque instantius, quia confidit quod preces nostræ apud charitatē vestram utillem sine difficultate sortiantur effectum,

G iiiij

ARNVLPHI EPISCOPI I

Gaudet quod amatori iustitiae, veritatis sit
delegata cognitio, quod precum nostrarum
suffragio munitus accedit, ut in prouerbum
cius apud vos sincera fraternae religio cha-
ritati concurrat. Licet autem pluralitas in-
strumotorum viam possit aperire iudicio,
omnem tamen absoluet testium numero-
litas & veritas notoria quæstionem, deser-
taque prouocatio motu iudicis excitabit,
quam scilicet aduersarius huius cœsuarum op-
ponendam, eo quidem astu, ut ei vacaret
affectionatam rapinam in bona pauperis licen-
tius exercere. Verum quid in malæ fidei
possessorum sine titulo, super principali cau-
sa quid in desertorem appellationis super
sumptibus & expensis decernendum sit,
vestra peritia non ignorat, ne scilicet vis
aut dolus impunita prætereant, vel imme-
ritum patiatur innocentia detrimentum.
Porro negotium vobis in expedito Rom.
Pontificis collocavit auctoritas, sublato
nimurum appellationis obstaculo, in quo
sibi calumniatores plerique occasionem
vexandi constituerunt, & refugium euaden-
di. Nunc enim parebit vobis, licet inuita,
quasi quibusdam terminis circumscripta
malignitas, cum nec ad præsens forum ve-

strū possit excedere , nec seueritatis vestræ
sententiam declinare. Valete.

Ad Abbatem Gristemensem.

abbatu[m] abbatis. viij. p[ro]p[ri]etatis.



Vartus decimus mensis agitur,
vel fortassis exactus est, ex quo
ad aliud regnum & transmari-
nas regiones à monasterio tuo
sine Episcopi tui benedictione & conscienc-
tia discessisti. Quanta autem interim idem
monasterium in spiritualibus & tempora-
libus detrimenta perpessum sit, & fratres
sentiunt, & tota regio protestatur. Nuncia-
tur verò nobis te in Anglia nihil nisi lites
& calumnias exercere , & cum graui mo-
nasterij tui sumptu , sine utile causa totam
disquirere regionem. Super quo reuocan-
dum te duximus, & in virtute obedientiæ
iniungendum, ut infra Kal. Augusti dispo-
sitis rebus illis, utiliter ad monasterium re-
uertaris, nisi vel infirmitate , vel tempesta-
te marina fueris impeditus. Nosce etenim
debes quod propensior cura animabus est
impendenda quam rebus. Ideoque nisi in-
fra diem assignatam veneris, nos tibi man-
datum mittere seuerius oportebit,

ARNVLPHI EPISCOPI
Ad Henricum Pisan. Cardinalem.

Nquo verbo Reges nostri dē susceptione domini Papæ conuenerint, vestra sapientia non ignorat. Et noster quidem ad Ecclesiasticas personas regni sui legatos destinauit in Angliam, cum literis quas à domino Papa receperat, & scripto illo quod à scismaticis est de Papiensi conuentulo fabricatum, ut scilicet vtroque scripto tanquā allegationibus partium vtrinq; proposito, rectius possint, quasi de iudicio formare consilium, & liquidius de cōtemplatione falsitatis oppositæ cognoscere veritatem. Cui sane colloquio, quia corporaliter adesse non potui, per Epistolam saltem interesse curaui, ut personæ vicem pagina suppleat, & viuæ vocis instantiam Epistola fidelis instauret. Cuius etiam Epistolæ transcriptum sanctitati vestræ censui destinandum, vt deuotionē meam, quamuis parum vtilem, officiosam tamen vestra dilectio recognoscat. De cætero, Librum Ennodij vobis mitto, alienum quidem, sed si experientia vestra probauerit, transcriptum cum quanta fieri poterit festinatio-

*Commentarij Anglici
nus.*

Ennodij libet.

ne remittam. Ego autem librum illū non
videram, priusquam mihi vestro fuisse signatus iudicio, visoque miratus sum quā
primum ab auctore confidentia editus, aut
quo post modū ab aliis fuerit fauore transcriptus. Neque enim mihi dignus videtur,
cuius studio vel scripturæ tantum tempus
debeat, siue census impendi, cùm & volu-
men effusum sit, & ad intelligenda quæ
scripta sunt singula multis & tædiosis opor-
teat iterationibus replicari. Prima siquidē
facie difficultis & obscurus incedit, & cùm
rerum difficultatem stilus lucidior debeat
aperire, intelligentiam potius sermo te-
nebrosus obtundit. Cùmque multum ha-
beat laboris inspectio, nihil habet affectu-
tio voluptatis, quia nec absolitione sen-
tentia complacet, nec oratio venustate.
Summa eius intentio est, aliter omnia di-
xisse quām cæteri, ideoque totum quod
loquitur exquisita quadam intricatione
complicat & innodat, ut rectius Innodius
quām Ennodius debeat appellari. Porro
in metricis producta breuiat, suaque ni-
hilominus auctoritate breuianda produ-
cit, nullaque vitium falsitatis virtute redi-
mitur, quia ipsum nec cultus orationis, nec

ARNVLPHI EPISCOPI I

dignitas materiae recompensat. Vnusquisque tamen ad obseruandas propositae legis tenetur angustias, dicendique libertatem necessitate suppressit quisquis se ad obseruantias huiusmodi arbitrio propriæ voluntatis astringit. Facilem verò duplex culpa veniam non meretur, cùm & intellectum retundit obscuritas, & aures metrictæ corruptio iocunditatis offendit. Credo ego librum hunc apud veteres nec notitiam habuisse, nec gratiam, ideoque nec in manus venisse multorum, sed sepultum diutius veteri quolibet armario latuisse, donec nouiter in lucem merito obscuritatis & noua peregrini nominis admiracione processit. Sunt enim quidam, qui eò difficultia maioris aestimant, quia minus intellecta mirantur; ea minoris & tanquam puerilia reputant, quæ iucunda lucidi sermonis serenitas illustrat. Cæterum obscuritatem, tanquam tenebras evitādam, Seneca noster, & Tullius, & cæteri quorum scripta comprobantur, ostendunt. Iulus quoque Cæsar culpabiles esse denunciat, qui ea volunt loqui vel scribere, quæ homines mirentur potiùs quàm intelligent, & se tanquam scopulum ita fugere info-

obscuritas.

lens atque infrequens verbum. Legite tamen, ipsumque non de aestimatione mea, sed de vestra potius experientia iudicate, ne meritis eius ignorantia mea praedi-
cium irrogasse dicatur, ipsumque vestri fa-
uoris sententia defraudasse. Quod si irre-
fragabilem queritis, de prosa ferre senten-
tiam ipsam secundum versum merita iu-
dicate, quia verum est ipsum pari peritia
circa tempora syllabarum & dictionum
naturam virtutemque versari. Valete.

Ad Ermaldum Pict. Archidi.

communuatoria.



Vobis aliquid à vobis censeo postulandum, cum petitionis honestas, tum vestræ benignitatis intuitus, non præcedentium facit confidentia meritorum. Verum si operis exhibitio non præcessit, paulo minus tamen sibi videtur meruisse deuotio, quæ ad omnia si occasio processisset, promptam se semper extitisse cognoscit. In omnibus enim non tam requirenda sunt opera, quam affectus, nec adeo quid feceris requirendum est, quantum qua feceris voluntate. Sic est: intentio operi nomen im-

A R N V L P H I E P I S C O P I

ponit, trahitque factum ipsum potius de animi qualitate substantiam, quam de beneficij quantitate. Inde est quod pro magistro Meschino amico & antiquo sodali nostro, preces vestrae porrigo sanctitati, ut veteri si quis est animi rancore deposito, exoratum vos mereat inuenire super petitione illa, super qua literis etiam Apostolicis instructus Pietauensi Ecclesiæ supplicabit. Promisit mihi quoniam ex hoc nūc vestro se totum tanquam magistri & patris mancipabit obsequio, ut si quid de præterito negligentius, vel inconsultius actum est, futuri temporis officia recompensent.

Ad Papam Adrianum.

A Dolescens quem ad accingen-
dū militiæ cingulo vestra mihi
dignatio commendauit, cùm
diuertisset aliquatenus, quia
securum per urbem transitum non habe-
bat, infirmatus reddit, tantique incédio ca-
loris accensus est, ut de salute eius timen-
dum plurimi credidissent. Viribus tamen
de hilaritate promissæ instructionis assu-
ptis, ad milonem vestrum & patrem Radi-

cosum usque perductus est. Plurimumq; pater super ægritudine filij de beneficij vestri gratia solamē accepit. Cùm verò adolescenti requiem suassim, & ego ei per assignatam personā nihilominus fidem debitæ promissionis implorem, venire semper usque ad conditum locum simulata valetudine apud indulgentiam paternæ pietatis obtinuit. Sané cùm in via non destinaret infirmitas, sed importuno semper ascensu morbo morbus accederet, veritus sum ne quod de diuturnitate præcauisse putaueram, ex ipsa mihi breuitate temporis eueniret. Expertus sum affectiones animorum plurimi conferre, vel auferre corporibus, sæpiusque de earum qualitatibus ipsorum vel periculum procedere, vel salutē. Ferebatur enim animo magis quam corpore, quia vires corporis animi restaurabat hilaritas, fortiusque trahebatur desiderio quam ægritudine tardaretur. Peruenimus itaque Lucam, ubi sic ut aperuit, infra decem dies vel plures arma coaptari non poterant, nec is cui parabantur, quoniam in lectum decubuerat, percipere potuisset. Porro miles quidam qui mihi à patre fuerat assignatus, cœpit utilius de ne-

ARNVLPHI EPISCOPI
cessitate consilium, habitaque omnium ra-
tione, petiit sibi in eam causam XL. libras
pruuuen. numerari. Affectabat enim melio-
res equos longiore tractu temporis explo-
rare. Cæteraque omnia quanto spacioius,
tantò commodius comparare. Quoniam
repentinos emptores saepe circumuenit sa-
gax astutia venditorum. Adquietui liben-
tius. neque enim poteram incertam pueri
valetudinem expectare, nec esset mihi tu-
tum morari diutius, ne prænunciato ad-
uentu meo mihi inter vias insidiae para-
rentur. Adieci autem nomine expensa-
rum ad moram redditumque quod opor-
tuit, ne de eo quod ad aliud destinatum
erat, aliquid detrahere necessitas aliqua co-
egisset. Visi sunt mihi multas vobis super
beneficio vestro gratias habuisse, mihi que
ipsi ab eis sunt grates exhibitæ, quasi de re-
liquiis & vestraru plenitudine gratiatum.

Ad Walt. Albanens. Episcopum.



Verimoniam quam ex lite-
ris, quas mihi à vobis nouissi-
mè destinatas accepi, gratam
admodum habui: quia ma-
gis excitat gratiam, quam delictum ar-
guere

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 57
guere videbatur. Quæstus enim estis post
aliquot Epistolas vestras, nullum vos à no-
bis accepisse rescriptum, & nos deuotio-
nem vestram inter cæteros, non nisi verbis
communibus salutasse. In quo intellexi
quòd benignitas vestra multo desiderio ad
complexum nobis mutuæ charitatis oc-
currat, quod ego multis quæsuisse studiis,
multis debueram obsequiis redemisse. Et
fecissem, nisi occasionem mihi tulisset ab-
sentia, quæ mihi semper haetenus optatum
vestræ serenitatis inuidit aspectum. Ma-
gnum erat mihi, si præsens in oculis vestris
gratiæ inuenissem. Maius est, quòd eam
mihi vltro usque ad Occidentis nouissima
destinatis. Pulchrum sanè & prædicandæ
liberalitatis officium, nullis impensis me-
ritis, nullis redemptum precibus, nullis be-
neficiis cōparatū. Nihil in eo est quod be-
neficij minuat maiestatē. Apud alios si qui-
dem actus meræ liberalitatis euauit, sed
vbique inter contrahentes animos nego-
tium geritur, dū spes creditrix & debitrix
gratiæ res compensant. Magnum tamen
est hodie, si quis amicorum meritis pari
præmiorum compensatione respondeat,
maius est omne meritum animi magnitu-

H

ARNVLPHI EPISCOPI

dine præuenire. Præuenisti autem me, ve-
strumq; tātæ dignationis æstimatione feci-
stis, qua mihi iudiciū existimationis vestre,
& dilectionis exhibetis affectū. Multa igitur
mihi de iudicio existimationis vestræ cre-
scit elatio, multa de confidentia gratiæ se-
curitas ad omnes præparatur euentus. Ma-
gnum siquidem est iudicium simul &
gratiā meruisse prudentis, cùm alterum il-
lustret ad gloriam, alterum proficiat ad
prouentum. Quid ergo? Quid retribuam
Domino meo pro his quæ attribuit mihi?
Nempe totum deuotionis affectum, quo
nihil maius offerri, nihil impendi gratius,
nihil potest pretiosius æstimari. Hoc et-
enim impenso totum impenditur, quic-
quid vel animus cogitando, vel operando
corpus vel facultates conferunt erogando.
Hoc igitur apud vos iudicium mihi perse-
ueret & gratia. Vobis nihilominus apud
me promissæ deuotionis non tepeſcat affe-
ctus, vt scilicet alter in alterius oportunita-
tibus monitore non egeat, sed zelum cha-
ritatis alternæ communicati officij probet
effectus.

Lator præsentium filium minorem eunti ad scholas auunculo commēdauit, ratus quod ipsum ad propensiorem pueri curam propinqui gratia sanguinis inclinaret.

Ille verò his quæ ad exhibitionem pueri comparata fuerat, profusius erogatis, puerum ipsum cuidam clericō nomine pignoris obligauit, licet cōtraētus eiusmodi nec de iure teneret, nec bonis etiam moribus conueniret. Libera siquidem persona sine proprio consensu non potuit obligari, puerū inque id ætatis consentire non posse vēstra peritia nō ignorat. Cæterū non tantum sortis, sed etiam usurarum nomine retinetur, factūque tam enorme non à sœculari persona, sed à clericō quodam, ipsique domestico vestro, vel domestici filio fieri prædicatur. Mirantur qui audiūt hæc à vobis inter ipsa sancti Episcopatus vestri primordia sustineri, quæ nec iustitiae rigor incorrepta relinquere, nec impunita debuit seueritas Ecclesiastica præterire. Clericus etenim vester manifestè de plagio confitetur, sed & usuras quas detestatur

*Libera res a manu
legaz, nisi sponte.*

ARNVLPHI EPISCOPI

Ecclesia, nihilominus impudenter exposcit. Quod si usurpas, quoniam odiosæ sunt, in sumptum exhibitionis impensæ pueru-

malignitas astuta conuertit, respondemus

vbi principalis obligatio sublata est, puerū
de accessoriis nō teneri, sed eum iniuriarū
competere potius actionem, quod inge-
nuum puerum, liberalibus artibus appli-
candum, subductum patri, propositis non
permiserit officiis applicari. Denique ego
ouem meam à vobis, tanquam à iudice,
aduersus confidentē de criminibus instan-
ter exposco, vobisque prouidendum est, ut
circa hoc vobis sinceritas famæ, nobis cha-
ritas fraternitatis, pueru debitę pietatis cō-
seruetur affectus, quoniam si reum per cul-
pam vestram, quod absit, contingat elabi,
Judiciorum subfidiaria iuris nos à reo fortassis in iudicem actione sub-
fidiaria conuertemur. Quod si non vlcif-
cendum delictum hoc, sed inter eos man-
suetudo vestra potius decreuerit compo-
nendum, patri iurato, quoniam vir bonæ
opinionis est, fides indubitata poterit ad-
hiberi.

Iteræ quas nouissimas vestra mihi
charitas destinauit, apud eum qui
perferendas acceperat, aliquādiū
substiterunt. Vnde factum est ut eas non
profecēturi, nec proficiscentis acceperim,
sed profecti: quem nec resalutare possem,
nec si quid concepissim animo remanda-
re. Feci ergo quod potui, Holocaustū ob-
tuli pro vobis medullatum, quod sua ni-
mirum pinguedine cōplaceret, ipsāmque
oblationem deuotus impinguaret offeren-
tis affectus. Holocaustum, inquam, obtuli
medullatum, in quo scilicet medullam diui-
nitatis corporea species obumbraret, pro-
cedensque de intimi cordis medullis ora-
tio suam sacrificio contineret melodiam:
hic enim ille vitulus saginatus est, hic mōs
ille coagulatus & pinguis, hic Christus ille
vñctus oleo exultationis præ participibus
suis, de cuius plenitudine licet omnes ac-
ceperint, ipsa ramen effusio non minuit ef-
fundentem. Nihil offerri preciosius, nihil
efficacius potest, nihil ei qui offert, vel ei
pro quo offertur vtilius, si dignitati sacrificij
personarum indignitas non obsistat.

ARNVLPHI EPISCOPI

Oportet enim offerētē puras manus inferre, ne quod impreciabile est, omniq; veneratione dignissimū, vel sub precij recidat vilitatē, vel causis indignioribus expādatur. Oportet cū pro quo offertur fide recognoscere, charitate complecti, prosequi desiderio, totāmque sibi in eo diuinæ propiciatioñis fiduciām collocare. His autem cōcurrētibus vtriusque partis versatur utilitas, vt qui pro aliis offerunt, pro scip̄is inneniantur offerre. Magnum sanè, prædicādūmque beneficium, quod erogatum alij proficit, ipsūmque nihilominus adiuuat erogantem. Quoscunque enim sacerdos effusa charitatis latitudine complectatur, totum simul omnium, totum vniuerscuiusque est singillatim, nec integritatem diuidit communicatio plurium, nec soliditatem minuit participatio diuersorum. Sic est: totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiusque in solidum te cohæredem hæreditatis admittit, quam totam mihi nihilominus repromittit. Quod enim spirituale est, neque terminis circumscribitur, nec aliquibus angustiis coactatur, nec impensum ratescit impendio, nec aliqua potest integratatis suæ detrimēta sentire. To-

tum itaque pro vobis obtuli, totum prouentui meo nihilominus reseruaui, cum scilicet utriusque sic cesserit in salutem, ut & iter vestrum cum prosperitate dirigeret, & mihi gratiā diuinæ propitiationis augeret.

Ad Egidium Rothom. Archid.

de sequentijs sermonis

 Ermonem habitum in Concio-
lio Turonensi scripto tradere,
quorundam precatione com-
pulsus sum, qui licet in prox-
imo consistentes, ea quæ dicta sunt multi-
tudinis obstante tumultu, nec satis audi-
re, nec intelligere potuerunt. Feci quod ro-
gatus sum, sed inuitus: quia quædam sunt
quorum simplex pronunciatio plus fau-
ris, quam laudis diligens inspectio prome-
retur. In his enim quæ in commune dicen-
da sunt, communi conuenit intelligentiæ
deseruire, ut omnia quæ dicuntur omnium
statim capiat intellectus, ideoque verbis
propè communibus decurrit oratio, ne
subtilius artificium lucem rerum & ver-
borum, quasi nube quadam difficultatis ob-
ducat. Et quia tractatus eiusmodi ad mo-
uendos plerūque destinatur affectus, oport-

H iiii

ARNVLPHI EPISCOPI

ter quasi cæsuris frequentibus, & breuioribus articulis incitare sermonem, ne lōgioribus periodis torpescat oratio, sed animus velut interpellatione cōmotus assurgat. Si igitur animus ad aliquid intellectu disponēte mouēdus est, sermonis prorsus est obseruāda serenitas, quoniā tenebræ plus semper odij contrahunt quām fauoris, sæpiūlque pes incedentis offenditur, nisi prævio dirigatur aspectu. In his verò quæ scribuntur, videntur quasi cum fiducia quadam legentium prouocari iudicia, nec tam formandis affectibus verba componi, quām examinationi publicæ, quæ palam propnuntur exponi. Siquidem in his quæ proponuntur oculis frequēs celebratur inspeccio, & modò fructus sentētiæ, modò cultus orationis exquiritur, ut spatiōsè possint merita studiorum adhibita rationis aestimatione pensari. In aliis verò discussionis morem celeritas pronunciationis excludit, vbi currentis linguae lubricum vix celeri etiam consequuntur intellectu, & sæpe quod incitatiūs dicitur, desides vehementius excitat, & informat affectus. Super quo non videbantur mihi in scripturā redigenda quæ dicta sunt, sed sicut tanquā

ex tempore dicta sunt, ita statim cum tempore præterirent, quoniam eis cùm diceretur gratiā potius ministravit occasio, quam cuiuslibet peritia facultatis. Tempore siquidem scismatis agebatur quod in diebus istis, maximè aduersus libertatē Ecclesiæ Dei sacerdotalis potentia firmavit audaciam: ideoq; nos diligentius de unitate & libertate tractauimus, ut animos corū qui aderant ad insistendum consolatio firmiores redderet, & ad resistendum exhortatio fortiores. Lege itaque, adhibita tamen dilectionis indulgentia qua cœpisti, ut scilicet imperfectum meum videant oculi tui, nec ad exactum quod legeris producatur examen, sed semper media benignius æquitate cognoscas.

Sermo habitus in Concilio Turonensi.

Calobratu anno 1563.
sub Alman. 3. gregor. 1563.
apud Nostria. lib. 2415

Hodiernum sermonem, domini & patres mei, mihi domini nostri qui præsidet, Romani vide licet Pontificis, iniungit auctoritas. Et ego quidē munus iniunctum magis de necessitate obediētiæ, quam de animi voluntate suscipio. Mallem ut in alium

ARNVLPHI EPISCOPI

declinasset ista dignatio, cuius & vita com-
mendabilior esset, & maior tam scientia
quam eloquentiae plenitudo. Quis enim
ego sum, qui in auribus tot, tam pruden-
tium, tam venerabilium personarum quem-
libet mihi debeam usurpare sermonem?
Sed & quis ego sum, qui mandato Roma-
ni Pontificis audeam obuiare? Angustiae
mihi sunt vndeque. Inter verecundiam & ne-
cessitatem constitutus sum. Altera me mo-
net via silentium, altera quasi quadam violen-
tia pertrahit ad loquendum. Obediendum
enim est sine mora, sed verecudia linguam
reprimit, obstruit intellectum, & a facie re-
uerentiae vestrae stupore quodam reddit
pauidum & confusum. Scio enim quia tria
solent in praedicatore requiri, sanctitas con-
uersationis, plenitudo scientiae, fœcundior
eloquentiae vena. Sanctitas conuersationis
inquiritur, quia nisi fuerit praedicatoris
commendabilis vita, non erit eius praedi-
catio gratiosa. Cuius enim vita contemni-
tur, restat ut & praedicatio contemnatur.
Timere habet ne forte incipientem loqui
statim vox diuina reprimat, & cōdemnet:
Quare tu enarras iusticias meas, qui proie-
cisti sermones meos retrorsum? Perfectio

sciētiā quæritur, ut habeat prædicator unde possit de thesauro cordis sui proferre noua & vetera, & eruditum nouerit expectantibus explicare sermonem, & secundum personarum qualitates temperare, quod dixerit, ut sciat quibus debeat lac potum dare non escam, quibus solidiotem cibum habeat ministrare. Eloquentia desideratur. Ad quid? Quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat, ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quo modo dicat, Vt trunque autem necessarium est, & habere quid dicas, & scire quomodo dicas. Sententiarum siquidem excellentia sermonis elegantiam quærit, ut verborum dignitas rerum maiestati respondeat, & sibi inuicem quasi concentu quodam res & verba concurrant. Ita est ut sermo prædicatori omni acceptione dignus sit, requiritur in prædicatore religio ad reuerentiam sermonis, scientia ad doctrinam, eloquentia ut commendet ad gratiam. Ut scilicet sermo sanctus sit, prudens sit, illustris sit. Ego verò qui vobis producor in medium, nihil habeo penes me, nisi conscientiam peccatricē, minorem scientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideo

ARNVLPHI EPISCOPI

oportunius mihi fuerat silere quām loqui,
pasci quām pascere , & aures vobis potius
exhibere quām linguā . Nulla mihi in me-
metipso fiducia est, sed ad sanctitatem præ-
cipientis, & merita vestra conuertor. Qui-
bus intercedentibus, aliquid mihi fortassis
largietur gratia illi⁹ qui dixit: Aperi os tuū,
& ego adimplebo illud . Os meum obe-
dientię necessitas aperit, vtinam gratia eius
per merita vestra sermone adimpleat opor-
tuno. In omni itaque sermone, domini &
patres mei charissimi , videtur mihi, quia
circa id quod principaliter intenditur duo
sunt studiosius obseruāda , causa scilicet &
tempus. Et causam quidem ratio submini-
strat, tempus autem oportunum reddit oc-
casio. Occasio autem est oportunitas sum-
pta ex tempore, sicut viro placuit eloquen-
ti. Ita est. Nisi id quod dicitur causam de-
ratione contrahat evidentem, ipsum duci-
tur otiosum . Si importunè dictum fuerit,
reputatur infestum. Quæ autem otiosa vel
infesta sunt, raro desideratos assequuntur
euētus. Et ideo cùm multa de scriptis san-
ctis possent vtiliter ac probabiliter in com-
mune proferri, ad ea potissimū sermo con-
uertendus est, ad quæ nos & vrgens neces-

sitas impellit, & euidēs inuitat vtilitas. Ad quid? Ad tentandum vobis cum de vnitate & libertate Ecclesiæ Dei. Sine his enim duabus non potest Ecclesia salua consistere, sed nec consistere quidem: quia nisi Ecclesia habuerit vnitatem, non erit vna. Si vna non fuerit, non erit, omne enim quod est, ideo est, quia vnu est, quod autē vnum non est, amittit pariter cum vnitate substantiam. Item, nisi habuerit libertatē, misera erit: pro eodem autem ei est miseram esse, & nō esse: immo deterius est miseram esse, quām non esse. Melius, inquit, ei erat si natus non fuisset homo ille, de Iuda dictum est, quoniam melius erat ei natum non esse, quām ad eiusnodi miseriam natum esse. Ideo, domini & patres charissimi, ut status Ecclesiæ conseruetur in columis, oportet vnitati ei⁹ & libertati sollicitè prouideri. Vtraque enim his diebus, hac tempestate, sicut nos miserabiliter experimur, multis vrgetur incommodis, multis iniuriis infestatur, quia alteram scindere nititur scismaticorum ambitio, alteram quærit auferre violentia tyrannorū. Vtrumque tamē eis per Dei gratiam impossibile erit. Impossibile siquidem est, spirituale Eccle-

vniuersalibet
aletaria.

A R N V L P H I E P I S C O P I

siaſticæ vnitatis ſcindere ſacramentū quod
inter Christum & Eccleſiam, ipſo patre au-
tore, indiſſolubili fœdere connexum eſt
& firmatum. Imposſibile eſt ſuam Eccle-
ſiæ Dei tollere libertatem, quam dominici
ſanguinis conſecrauit effuſio. Licet enim
paleæ de area Domini quandoque venti-
labro leuitatis aut vanitatis auolēt & ab-
ſcedant, propter abſceſſum tamen earum
non minuitur fructus areæ, ſed purgatur.
Item, licet Principes tenebrarū aduersus
Eccleſiam Dei vehemēter insurgant, por-
tae tamen inferi aduersus eām præualere
non poſſunt. Ita, domini mei, ſalua nobis
ſemper eſt vnitas, ſalua ſemper eſt libertas
Eccleſiæ, quia neque tunica inconsutilis
ſcindi poteſt, neque Christi ſanguis in irri-
tum deuocari. Et licet exierint à nobis ali-
qui qui nobiſcum erant, ſed de nobis non
erant, non eſt ſciſſa tamen veritas vnitatis
propter eos, quos separauit à nobis propriæ
malitia prauitatis. Et licet iij quos diximus
tyrāni terrarum circa temporalia bona, &
ipsa etiam corpora noſtra deſeuiant, ut
edant carnes noſtras, infirmātur & cadunt.
Et ſi circa diripiendas inutiles ſarcinas oc-
cupātur, Eccleſia tamen Dei nihilominus

quæ disponenda sunt libera potestate dis-
ponit; immò etiam ipsos, quasi seruos ne-
quam, spirituali potestate retrudit in car-
cerem, vbi eos nimirum, quasi compedi-
bus, quibusdam vinculo anathematis, &
opprobrio perpetuæ maledictionis astrin-
git. In quo etiam laudabile videtur ope-
rari virtus diuina miraculum, dum nobis
in vnitate nostra & libertate degentibus,
ipſi se solos ab vnitate catholica separant,
& detestandæ subiiciunt seruituti. Nostam-
en, charissimi fratres & domini, non de-
bemus malum pro malo reddere, neque
vinci à malo, sed vincere in bono malum:
& ideo ad reuocationem eorum qui foris
sunt summa charitate debemus intende-
re, vt ipſi vnitati nostræ possint, Domino
miserante, connecti, quatenus ij qui quic-
tem Ecclesiasticæ libertatis impugnant,
me!iore ducti consilio resipiscant, & tam
de reuocatione eorum quam istorum pœ-
nitentia crescat fœcunditas vnitatis, & in-
concuſſa seruietur desiderandæ tranquil-
litas libertatis. Ad hoc scilicet omnem nos
conuenit diligentiam adhibere, omnem
propter hoc sustinere vexationem, omne
periculum experiri. Hoc enim speciale de-

ARNULPHI EPISCOPI

*Episcopis honoris
honestitatis.*

bitum nostrę professionis: Episcopi sumus:
Ad hoc sacramētis Ecclesiasticis sanctifi-
cari volumus, ditari beneficiis, honoribus
illustrari. Ex ea etiam causa hic primas ob-
tinemus in Concilio cathedras, primos in
cœnis recubitus, salutationes, in foro. Ex
eadem causa populorum nobis multitudi-
nes inclinantur, ut de manu nostra partem
aliquam cōmissæ nobis benedictionis ac-
cipiant. Quærunt enim accipere de ple-
nitudine nostra, quod nos accepimus de
plenitudine Christi. Hic ordo est. vnguen-
tum præcedit in capite: A capite descen-
dit in barbam, barbam quidem Aaron: A
barba usque in oram vestimenti defluxit.
A capite, scilicet Christo, in barbam, scili-
cket Prælatos Ecclesiæ: à Prælatis in popu-
lum, in subiectos. In capite autem omnis
perfectionis est plenitudo, omnis perfectio
plenitudinis. In ipso enim inhabitat om-
nis plenitudo diuinitatis corporaliter, so-
lidæ scilicet & perfectæ. In ipso omnes the-
sauri sapientiæ & scientiæ absconditi. In
ipso totus Spiritus Patris. Nihil ibi perfe-
ctioni detractum est. Nihil ibi plenitudini
derogatum: & de plenitudine ista nos om-
nes accepimus, maiores & minores. De
plenitudine

plenitudine quidem, sed nō plenitudinem ipsam. sibi enim plenitudinem reseruavit. Circa nos autem diuisiones gratiarum factæ sunt: Vnus autē Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in singulis; diuidit enim singulis, prout vult. Vbi enim vult spirat, & quantum vult inspirat. Nos autem in medio constituti inter Christum & populum, priuilegium gratiæ cōsequuti sumus, & prærogatiuam dignitatis adepti. Priuilegium gratiæ, quia prius & copiosius nobis infunditur, quod à nobis in alios trāfundatur. Prærogatiuam dignitatis, quoniam superiores & propinquiores sumus. Superiores, quoniā constituti sumus Principes super omnē terram. Constitues eos, inquit, Principes super omnem terram. De Apostolis dictum est: vtique & de nobis, qui loca Apostolorū minoribus re vera meritis, sed maioribus cōsolationibus obtinemus. Qualis autem est hic principatus nostet: vtique sublimis & fortis. Nimis, inquit Propheta, honorati sunt amici tui Deus, nimis cōfortatus est principatus eorum. Propinquiores sumus: amicos siquidem nos appellat, & ad argumentum propensioris amicitiæ indultas nobis, non par-

ARNVLPHI EPISCOPI

tem sed copiam totius familiaritatis ostendit. Iam non dicam, inquit, vos seruos, sed amicos meos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis. Verum est. Nobis datum est nosce mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligent. Nos habemus oculos intuendi, & aures audiendi. Multæ & magnæ sunt circa nos dignationes tuæ, bone Iesu, multa & inæstimabilia beneficia tua. Gratia tua vltro nos præuenit & subsequitur, nihil aut parum est quod meritis nostris arrogare possim⁹, cùm tu gratiam per gratiam semper effusa munificentia largiaris. Quid ergo retribuemus tibi? quid retribuam, inquit, Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Quæreritne sibi restitui? quærerit reuera. Quoniam grauis etiam exactor est. Non concinit debitorem suum in sortem tantum, sed etiam in usuras. Quare, inquit, non posuisti pecuniam meam ad mensam, vt cùm redirem vtique cù usuris, eam exegissim a te? Quia ergo sibi retribui quærerit, consulamus Prophetam, quid tantæ maiestati dignè possit in causam retributionis offerri. Expedit nobis ut qui nos de qualitate no-

stri principatus edocuit, nihilominus de quantitate retributionis edoceat. Oportet enim ut quod nomine retributionis offeratur, ad honorē cedat, accedat ad gratiam. Alioquin non parit gratiam, sed offensam. Audiamus ergo quid dicat: Constitues eos Principes super omnem terram. Ecce meritum eius circa nos: quid autem sibi retrubui quærat, cōsequenter adiungit: Memores erūt nominis tui, Domine. Memoriam nominis sui tantūm sibi quærerit nomine retributionis offerri. Cuius nominis? nempe multa nomina habet. Habet quædam nomina de veteri instrumento significacionis absconditæ, habet quædam ad nouum specialius pertinentia testamentum, suavitatem redolentia, exhibētia gratiam. Quæ quamuis constet originem traxisse de veteri, plus tamen celebritatis & frequentiæ de præsenti nouitate sumpserunt. Quæ sunt illa? Iesus Christus: Iesus interpretatur saluator, Christus vñctus. Vbi vñctio, ibi suauitas: manifeste nomen istud Christus suavitatem redolēt vñctionis; Iesus salutis gratiam repromittit. Credo tamen quod in hoc loco Propheta aliud nomen quærat intelligi, quoniā nomina illa pro-

ARNVLPHI EPISCOPI

pter suavitatem & gratiam, deuotionem
quidem & fiduciam præstant: hic verò al-
terius cuiusdam nominis memoriam quæ-
rit, cuius seueritas nobis cautelam diligen-
tiæ, & timorem reuerentiæ donet. Quod
est illud? Deus. Deus interpretatur timor.
Ipse autem in hoc loco timentes esse nos
exigit & prudentes. Commisit enim no-
bis hæreditatem suam, quam nisi timen-
tibus non committit. Dedisti, inquit, hæ-
reditatem timentibus nomen tuum, Do-
mine. Hæreditas autem eius illa est, quam
ipse à patre merito & postulatione passio-
nis accepit. Postula, inquit, à me, & dabo
tibi g.h.t. hæreditas autem hæc vniuersitas
fidelium est, quæ nomine censetur Eccle-
siæ, quæ catholicam continet vnitatem.
Hanc fidei nostræ credidit, hanc sollicitu-
dini commendauit. Ad curam igitur &
custodiam eius cum omni timore omnem
nos oportet diligentiam adhibere. Nulla
nos absterrere debet comminatio, nulla
persecutio retardare. Participes consola-
tionum facti sumus. Iustum est ut socij si-
mus etiam tribulationum. Ex aduerso
stare nos conuenit, & opponere nosmet
ipsos murum pro domo Israel. Quod

Dignissimum.

sanè nobis non facile quidem, sed pos-
sibile tamen erit, si constanter in vnitate
catholica consenserimus permanere.
Porrò fratres sumus ex eodem patre Chri-
sto, & ex eadem matre Ecclesia, per rege-
nationem aquæ & spiritus de filiis iræ
translati in adoptionem gloriæ filiorū Dei.
Bonum itaque est, quia vtile: iocundum,
quia delectabile, nos hac spirituali frater-
nitate coniunctos, in vnitate consistere, vt
sit scilicet nobis, sicut in primitiua Eccle-
sia, multitudini credentium cor vnum &
anima vna. Sit in nobis vnum spiritus, vna
fides. Vnitas enim fidei concordiam parit.
Concordia mater est vnitatis. Vnitas verò
fidei tribuit libertatem. Ex fide squidem *fides*.
vita nobis & victoria est. Iustus, inquit, me⁹
ex fide viuit. Et hæc est victoria quæ vincit
mūdum, fides nostra. Sed & sancti per fidē
vicerūt regna: regnū Sathanæ, regnū mūdi,
regnū cœlorum. Et de regno quidem mū-
di & regno Sathanæ manifestius: sed & re-
gnum cœlorum vim patitur, & violenti ra-
piunt illud. Ita omnia regna vnitatis fidei, &
fides vnitatis expugnat. Totis itaque studiis
debemus insistere, & alter alterum cohori-
tari, vt stemus simul, quia si steterimus si-

ARNVLPHI EPISCOPI

mul, alteri ab altero plus fiduciæ & virtutis accrescit. Si steterimus simul, aduersariis nostris non tātū resistere poterimus, sed & cum fiducia prouocare. Si steterimus simul, Ecclesia Dei apparebit terribilis, ut castrorum acies ordinata. Stemus, inquit ille Propheta, stemus simul. Quis est aduersarius meus? quis contradicit mihi? accedat ad me. Quia aliquem sibi senserat fideliter assistentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, domini & patres mei, habemus aliquos nobis fideliter assistentes: habemus enim assistentem nobis gratiam ciuium supernorum, habemus assistentia nobis merita & orationes vestras, habemus assistentem nobis fidem & deuotionem catholicorum Regum, qui vnitatem catholicam nobiscum & verbo profitentur, & operibus exsecuntur. Omnes ferè quicūque censemur nomine Christiano. Comparatione verò tantæ multitudinis, modica est vnius exceptio. Vnus siquidem excipitur, & ipse solus. Væ autem soli: quia si ceciderit, non habet subleuātem. Sed & ipse per misericordiam Dei cōuertetur & viuet, quoniam ipse est inter Principes terræ multa prudentia, & virtute laudabilis,

nisi gloriam suam diuinæ gloriæ præponere decreuisset. Vtinam humilietur sub potenti manu Dei, & principatum Ecclesiæ suo præesse principatiu recognoscat, utinā intelligat quia si Christum, sponsum scilicet Ecclesiæ dominum confitetur, necesse habet & Ecclesiam quæ sponsa est nihilo minus dominam confiteri. Præterea specialem causam habet, qua sanctam Romanam Ecclesiam dominā recognoscere debet: alioquin manifestissimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus historias, certum erit prædecessores eius imperium nō de alio iure, quam de sola sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia percepisse. Nihil igitur plus iuris vediçate Principes possunt, quam quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus assistentem nobis etiam Christum. Neque enim Ecclesiam ea nobis conditione tradidit, ut relinqueret: semper assistit. Nō relinquam, inquit, vos orphanos, vado & venio ad vos, vobiscum usque ad consummationem sæculi permansurus. Adiutor itaque & protector nobis est in salutem. Cum adiutorio itaque tot assistentium nobis nulla nos debet absterrere commi-

ARNVLPHI EPISCOPI

natio, nulla persecutio renocare, immò sta-
re debemus ex aduerso, & opponere nos-
met ipsos murum pro domo Israel. Fidelis
autem Deus, qui non patietur vos tentari
supra id quod potestis, sed faciet cum ten-
tatione prouentum, ut possitis sustinere.
Immò etiam ad cōfidentiam victoriæ ob-
tinendæ suo nos inuitat exemplo. Confi-
dite, inquit: ego vici mundum. Si semel vi-
ctus est, non erat inuincibilis mundus: fa-
cilius nobis erit victoria victum vincere
quam inuictum. Christus vincendum ag-
gressus est, & deuicit. Dicebatur aliquādo:
Vide Domine & cōsidera, quoniam crectus
est inimicus: nunc autem dicitur, quoniam
deiectus est inimicus. Fiducialiter aggredi
possimus iacentem & victum; quia si de-
iectus est, non resurget; si victus, non præ-
sumer. Nulla ipsius ex hoc nunc resurre-
ctio, vel præsumptio præualebit. Timeo
tamen, ne aliquis forte submurmuret, præ-
sumptuosum dicens æmulari tantæ perfe-
ctionis exemplū. Facile, inquit, erat Chri-
sto mundum vincere, qui creauerat mun-
dum. Omnipotens enim nomen eius, cui
idem est & velle & posse: mihi non ita,
quoniam infirmus sum, & cōturbata sunt

omnia ossa mea . Omne scilicet robur na-
turæ meæ peccati corruptione cōcussum,
& ideo substantia mea tanquam nihilum,
coram ipso . Sed nequaquam, domini &
patres mei , diffidendum , nequaquam
desperandum est : quia sicut verba Christi
nobis ad doctrinam , ita opera proponun-
tur ad formam . Et sicut per doctrinam im-
possibile nobis est scientiæ illius plenitu-
dinem obtainere, ita per exempla ad æqua-
litatem virtutum eius non poterimus per-
uenire . Sed licet attingere non valea-
mus eminentiam maiestatis, proficere ta-
men poterimus ad aliquam saltem simi-
litudinem sanctitatis . Proderit imita-
ti, et si nemo valeat adæquari . Citra per-
fectionem eius subsistit nostra perfectio.
Prosequi debemus , et si consequi non
possimus . Non eisdem passibus, sed eo-
dem tramite , eisdem est vestigiis insi-
stendum . Quod si aliqua etiam de homi-
nibus exempla quærantur, multos homi-
nes victores mundi poterimus inuenire.
Videamus Apostolum , hominem scilicet
peccatorē, sicut & nos, non quantum nos,
qui dicat se minimum Apostolorum, &
indignū vocari Apostolum, quoniam per-

A R N V L P H I E P I S C O P I

secutus est Ecclesiam Dei: Bonum, inquit, certamen certauit, cursum consummaui, fidem seruaui. de cætero reposita est mihi corona iustitiæ. Certauit Apostolus, de certamine victoriam, de victoria cōsequutus est coronam. Cucurrit & consummauit cursum, ideoque brauium assectus est. Idem brauium, quod corona. Tu autem quis es qui quæris coronam sine victoria, vel sine concertatione victoriam? Impossibile est de facto, sine concertatione viciisse. Improbabile est de iure coronam, sine victoria postulare. Neque enim coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Lex autē certaminis perseuerantia est. Qui enim perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Idem profectò salus, quod brauium & corona. Amplius si maior vobis de hominibus placeat pluralitas, exemplorum infinita ferè martyrum millia nobis occurrent, quid ad certamen istud toto desiderio occurrerunt, & demum victoriam cruentam quidem, sed tamen cum lœtitia & gloria perceperunt. Nunquid non ibant Apostoli, gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitu sunt pro nomine Iesu contumeliam pati? Nunquid non Stephanus

inter lapides ipsos pro lapidantibus suppli-
cat & exorat? Nunquid non Petrus &
Andræas de cruce prædicant veritatem?
Nunquid Laurentius de craticula tyran-
no lætabundus insultat? Nunquid non car-
nifex ipsos ad equuleum præuenire in-
uincibilis Vincentij fortitudo festinat? Sed
& si de infirmiore sexu queratur exēplum,
Agathes lætissimè & gratulanter ibat ad
carcerem, & quasi ad epulas inuitata, ago-
nem suum domino precibus commenda-
bat. Priùs me deficiet dies, immò totum
longioris anni spatium expirabit, quām
sanctorum victoriæ planè valeant enarra-
ti. Hi reuera fuere viri fortes, & ad bella
doctissimi, qui humilitate superbiam, ty-
rannidem patientia deuicerunt. Cæterū
benignius agit cum infirmitate nostra mi-
sericors & miserator Dominus. Ipse enim
conscius est infirmitatis nostræ, vt pote
qui nouit figmentū nostrum. Tolerabi-
lem itaque facit patientiam nostram. Re
vera sicut dictum est facit cū labore pro-
uentum. Nulla ergo aduersum nos vete-
ris sæuitiæ commenta procedunt, immò
etiam sustinemur in equis & curribus am-
bulare, in magnis quandoque & mirabili-

ARNVLPHI EPISCOPI

bus super nos epulari splendide, preciosis
indui honoribus, & diuitiis abudare. Pau-
Prælatorum
pertatem Christi verbo prædicamus, sed
minus exhibemus exemplo: nisi quia for-
tasse paupertatem eius in nobis spirituali-
ter diuitarum contemptus & humilitas
sancta restaurat. Neque enim requiritur a
nobis diuitarum indigentia, sed contem-
ptus. Diuitiae, inquit, si affluant, nolite cor
apponere. non dixit ne affluant, sed ne cor
apponatur. Porro cor prohibuit appone-
re, sed non manum. Profecto Propheta in
omni affluentia diuitarum pauperem se
prædicat & egenum. Possumus itaque lici-
te diutias possidere, si tamen earum nos
non reputauerimus dominos, sed mini-
stros: si intellexerimus patrimonium pau-
perum esse patrimonium Christi, si pro-
uentibus Ecclesiæ, si pauperum necessita-
tibus erogantur. Alioquin fures & latro-
nes nos ratio manifesta conuincet, si res
alienas inuitis dominis nostro præsumps-
rimus arbitrio contrectare. Quia igitur di-
stribuenda sunt, non retinenda diuitiae,
nusquam iustius, nusquam possunt libera-
eroganda mea quia do
prosequamur. lius erogari, quam in eos qui exulantem
Ecclesiam prosequuntur, qui propter cau-

sam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt. Causa communis est, sed in eos omne detrimentum, omnis est conuersa vexatio. Nos enim intra domesticos parientes nostros tribunalia nostra sublimiter insidemus, ipsi de sedibus suis contumeliosè & violenter eie&t peragrant regiones. Nobis omne solatium cum affluentia diuina pietas amministrat, ipsi de manibus alienis subsidia vitæ cum silentio patienter expectant. Nobis necessariorum nostrorum & familiarium ordo longus assistit. Ipsi inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis consolationem emendicata suffragia præstiterunt, indignum est ab eis beneficia quærere, quibus tu consueueris exhibere. Aperiāmus itaque eis viscera pietatis, & in eos omnem compassionis & venerationis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia & gratia complectamur: quia tunc adimplebimus legem Christi, si alterius inuicem onera compontemus. Viri prudentes sunt & multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit, tanquam aurum in fornace probandos, ut per eos impendio personarum & rerum, Ec-

ARNVLPHI EPISCOPI

clesiae victoria consummetur. Felices sunt quibus datum est pro æternis transitoria commutare. Feliciores sunt qui mortem vel corporales iniurias sunt experti, & impreciabilem sanguinem Christi suo indigno & corruptibili sanguine compensarunt. Quid enim? Nunquid sanguinem Christi in causam nostræ redemptionis expendimus, ut ipsum ei in tempore retributionis, scilicet cum ipse requirerit, solueremus? Mutuatus est peccator, & non soluet: nos autem, Domino miserante, soluemus, qui confitemur nos non artificio ciuili, sed te ipsa interueniente naturaliter obligatos. Utinam, bone Iesu, detur & mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare. Utinam sanguinem meum tibi protuо recipere placeat in solutum, vel quia crediti & debiti sanguinis, scilicet tui & mei, inuicem æstimatio non concurredit, saltem benignissima acceptilatione liberatus absoluар, qua scilicet consueuisti iustitiam accepto ferre sine operibus, & præmia sine meritis, pro gratia scilicet bona actionis gratiam retributionis inferre.

Vis putas fidelis seruus & prudens, quem cōstituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cūm venerit dominus, inuenerit vigilātem. Ecclesia, sicut nostis fratres charissimi, congregatio fidelium dicitur. Fideles autem sunt, qui censemunt nomine Christiano, qui scilicet de agnitione fidei catholicæ Christiani nominis contrahunt dignitatem. Fides enim ista de Christo & à Christo est, ideoque Christiana de nomine proprij nuncupatur auctoris: catholica verò id est communis, tam propter præcepta generalium regulatum, quam propter vniiformē in omnes æternæ retributionis euentum. Neque enim fides ista iam vel certis est confignata personis, vel quibuslibet locorum coarctatur angustiis, sed ab omnibus quæ perierant domus Israel in omnes gentes veritatis doctrinā transfusa est, postquam scilicet in omnem terram sonus Apostolicæ prædicationis exiuit. Per hanc ergo fidem purgatis ignorantia tenebris, & veterum

*Ecclesia Christiana
et Catholica.*

ARNVLPHI EPISCOPI

detersa caligine figuratum, misericors & miserator Dominus Ecclesiam suā sic notitia veritatis illustrat, ut operibus nihilo minus charitatis informet, quatenus procedente gratia ei se ad complexandum indulgeat, & exhibeat ad videndum. Ad hoc eam de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, ad hoc eam secum assumpsit in eiusdem corporis vnitatem. Ad hoc eam de seruitute corruptionis, proprij quoque sanguinis impēdio liberauit. Ipsa enim precium sanguinis eius est retributio passionis, gloria maiestatis. Quod enim affec-
tio hæreditatis istius ei cedat ad gloriam manifestē, de ipsius congratulatione suscepimus: quia in susceptione ipsius à patre ea studiosius commendat, & etiam lætabundus exultat. Funes, inquit, ceciderūt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Præclara est, quoniam pulchra & decora est. Pulchra, quoniā tota pulchra est, non habens maculam neque rugā. Cuius claritatis & pulchritudinis quātus ipse zelator sit, ipsa etiam nominum multitudo, quibus eam frequenter appellat, euidenter ostendit. Nempe multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur,

mitur. Neque enim vno nomine contentus esse potuit, vt in ea diuersitatem virtutum distingueret, & in se circa eam totum dilectionis aperiret affectum. Modò itaque eā electā, modò dilectā, modò spōsam nominat, aut reginā, multisque aliis nominib⁹ quę spiritualibus sunt plena mysteriis, & sacris significationibus illustrata. Ego tamen ad præsens paucis esse contentus decreui, quia sapientibus loquor, quibus plenius quam mihi innotuerunt nomina & nominum sacramenta. Electa dicitur. Ve- *Electa electa.*
ni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum. Electa dicitur, propter virtutum eminentiam, qua præcellit. Thronus autem iste qui in ea constituendus dicitur, Altissimi thronus est, qui nō potest nisi in eminentia collocari, quia ipse est qui in altis habitat, immo etiam in altissimis: Ego, inquit, in altissimis habito, & thronus me⁹ in colūna nubis. In altissimis habitat, quoniam cœli cœlorū sedes & habitatio eius. Supra tertium etiam cœlum inuenitur à Paulo. Thronus autem hic in columnā est, quia sicut columnā ardua & subtilis est, sic ardua & angusta via quæ dicit ad vitam: vita verò Christus. Ceterūm quòd thronus

ARNVLPHI EPISCOPI

iste constitutus in nube dicitur, diligentius
attendendum est. Nunquid enim ipse in-
habitat lucem inaccessibilem? Nunquid
ipse est lux vera, quæ illuminat omnem ho-
minem venientem in hunc mundum? Lux
scilicet perpetua, quæ lucebit sanctis Dei,
quia fulgebunt sicut Sol in regno patris
eius. Sed & thronus eius, sicut Sol in con-
spectu patris. Re vera lux est, & lucem in-
habitat. Sed inter nos & lucem illam ad
præsens nubes interposita est, quæ nō per-
mittit nos eam perfectè his quos modò ha-
bemus oculis intueri, immò nobis nubes,
& caligo in circuitu eius. Videmus tamen
aliquatenus, sed per speculum, sed in ænig-
mate, sed interpositis corporalibus instru-
mentis. Visibilia enim quæ ab ipso creata
sunt, quasi speculum, quasi instrumēta no-
bis sunt, per quæ quodammodo possimus
ipsius inuisibilia contemplari. Inuisibilia si-
quidem eius per ea quæ facta sunt, ab eo
cōspiciuntur. Videbimus autem, Deo vo-
lente, perfectius in futuro, quando videbi-
mus eum sicuti est, quando cognoscemus
sicut & cogniti sumus, quādo scilicet Re-
gem in decore suo videbunt oculi nostri,
quādo transformabimur à claritate in cla-



ritatem, sicut à Domini spiritu. Quod mihi videtur desiderasse Propheta, cùm dicere: Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? quasi diceret, Video aliquantulum, sed obiecta est mihi nubes, interpositum velum, non video nisi interpolitis corporalibus instrumentis. Velle hæc omnia remoueri, ut viderem facie ad faciem, & appareret mihi Christus vita mea, & ego apparerem cum ipso in gloria. Item, dilecta dicitur, quia diligit & ipsa, neque enim diligenter, nisi diligeret, ipse enim nisi diligentes se non diligit. Ego, inquit, diligentes me diligo. Præuenit tamen diligendo, quoniam ipse prior dilexit nos, sed ad hoc diligit, ut faciat diligentes. Nisi enim qui diligitur mutua ei dilectione respondeat, diuinæ reuocatur dilectionis affectus. Verum quanta inter ipsum & diligentem se discurrat alternæ charitatis affectio, difficile nobis, immò impossibile est explicare, quoniam nec ipsius Salomonis sapientia id perfectè nobis enarrare potuit, licet diligentissimè fuerit prosecutus inter eos modò complexus & oscula, modò aromata & vnguēta, modò languorem spiritus, modò animæ defectum, modò feruētem curiosæ.

A R N V L P H I E P I S C O P I
æmulationis zelum, modò delicatum te-
neræ compassionis affectum. Quæ omnia
mihi satis est breuiter attigisse, quia religio
vestra hæc intra vos met ipsos pleniùs per
ipsa spiritualiter experimenta cognouit.
Celaria sponsa Tertium nomen est quod posuimus, quod
sponsa dicitur. Nullo alio nomine manife-
stius exprimi potuit inter eos sacramētum
vnitatis, & sinceræ perfectio charitatis.
Quæ enim verior vnitas & charitas est
quàm duo in carne vna fieri, & ipsos uno
codémque spiritu vegetari? Quoniam ipse
ab ea in vnitatem eiusdem carnis, & ipsa
ab eo in vnitatem eiusdem spiritus est af-
sumpta. Erunt itaq; duo in carne vna. Pro-
fectò Christus & Ecclesia. Nempe verbū
caro factum est. Sed & totum corpus Ec-
clesiæ spiritu Christi vegetatur & regitur.
Prudenter negotiata est Ecclesia, carnem
dedit, vt acciperet spiritum, & ipse anima-
tum corpus assūmēs, largitus est nobis suā
deitatē. Fœdus hoc in persona Christi ce-
lebratum est, quando scilicet cum huma-
nitate diuinitas, & cum diuinitate conue-
nit humanitas. Sponsalia hæc ibidem, au-
toritate patris & sancti Spiritus obūbra-
tione firmata sunt. Nec enim adhuc nisi

sponsalia sunt, nondum celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatum. Porrò complebuntur omnia in futuro, cùm sponsus aduenerit, & intrabūt qui parati inuenti fuerint cum ipso ad nuptias, imparati foribus excludētur. Qui verò ad agni nuptias fuerint introducti, ibi epulabuntur in conspectu eius, ibi delectabuntur in lātitia, ibi ineibriabuntur ab vbertate domus eius, ibi torrente voluptatis potabit eos. Ibi qui modò vacui sunt replebuntur in bonis domus eius, & qui inanes satiabūt, quoniam apparebit gloria eius. Ibi spōsa coronā accipiet, quam ei Dominus præparauit in eternū. Vnde etiā regina vocari digna est. Iure id quidē, quoniā spōsa est regis: Christus enim rex est, cuius ipsa sponsa est, & rex & filius regis. Non habet regnum fortuitū, sed hæreditarium, quia de patre: Deus, inquit, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Ad patrem loquitur: Deus, inquit, pater da regi, id est Christo filio tui regis scilicet qui rex es, iudicium & iustitiam, potētiā scilicet & scientiam iudicandi. Iustitia enim & iudicium, præparatio sedis eius. In his siquidem duobus consistit tota Regiæ maiestā-

ARNVLPHI EPISCOPI

tis auctoritas, quia iudicium per severitatē potentiae vindicat, quæ male commissa sunt coercet, ne iterum committatur. Punit siquidem excessus, & refrænat audaciā. Iustitia verò per discretionē scientiæ dirigit & informat. Informat ad virtutē, dirigit ad salutē. Pater itaque rex est, & filius rex est. Pater rex ab æterno, filius nihilominus secūdum diuinitatē rex ab æterno. Vnius eiusdemque regni non duo reges, sed vnuis rex. Christus autem secundum humanitatem rex factus est ex tempore, & Ecclesia eiusdem regni regina constituta est cum ipso. Astitit, inquit, regina à dextris tuis. Christus ad dexteram Dei patris, in potoribus scilicet bonis gloriæ eius sedere dicitur, propter requiem consummatæ gloriæ quam accepit. Ecclesia à dextris Christi stare dicitur, non sedere, quia semper est in procinctu cōstituta. Astitit regina à dextris tuis. In hoc verbo videtur mihi Propheta triplicem statum Ecclesiæ prospexit. *3 in ecclesia statu.* Videtur mihi primo eam considerare stantem ad dextrâ crucifixi, vbi sibi profluentia in salutem, de latere eius sacramenta suscipit & obseruat. Erat, inquit, iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius

Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Stabat & discipulus quem diligebat Iesus. Stabat Petrus, & alij fortasse fideles à longè prosequentes, ut viderent finem. Stabat & Centurio, manifestè protestans quia verè filius Dei erat iste. In ea paucitate tunc temporis tota ferè vniuersitas Ecclesiæ consistebat. Porro vnu ex militibus lancea latuſ eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua : sanguis scilicet redemptionis, &
aqua regenerationis. In his duobus omniū sacramentorum virtus & efficacia creditur emanasse. In fide etenim passionis, &
baptismatis ablutione saluamur. Qui enim crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Sanguis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruendum Deo viuēti. Sed & aqua quæ visa est egredi de templo corporis Christi, à latere dextro, saluauit omnes ad quoscūque peruenit. Tres igitur testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus siquidem testimonium perhibet de Christo, quoniam Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Nobis autem aqua & sanguis reddunt testimonium ad salutem. Secundus autem status Eccle-

*cordam p̄fis at r̄g
curratio.*

X.

Testimonia salutis.

A R N V L P H I E P I S C O P I

siæ est à tempore resurrectionis Christi usque ad saeculi cōsummationem , quo tempore scilicet ipsa peregrinatur in terris, atque interim bona ista temporalia sobrie sibi in usus honestæ necessitatis assumit. Tota tamen spiritualiter in agnitione sacramentorum, in virtutum executione, in cælestium contemplatione consistit, atque ideo quodammodo stare videtur etiam in præsenti, quoniam spiritualia sunt hæc, & de beneficio ei diuinæ bonitatis indulta, ut ei de perceptione præsentium munera firma sit exspectatio futurorum . Porro tertius Ecclesiæ status consummatis omnibus complebitur in futuro , quando scilicet dextra ipsius amplexabitur eam , & æternæ beatitudinis plenitudo cōfouebit. Astigit, inquit, regina à dextris tuis. In hoc verbo regnorū pluralitatē Christo & Ecclesiæ nolumus assignare , quia vnū & simplex regnum est , quod patri & filio secundum diuinitatem firmat deitatis æternitas, & quod filio virginis & Ecclesiæ gratia cōmunicavit ex tempore. Nulla ergo inuidia est , Ecclesiam reginam , & cælorum etiam reginam appellari, cùm Psalmista filios eius Deos & Dei filios confidenter

appellet. Ego, inquit, dixi, Dij estis, & filij
Excelsi omnes. Ita, domini & patres mei, si-
cūt diximus, multitudine nominum mul-
titudo charitatis exprimitur, & ipsorum di-
uersitate sacramentorum quoque diuersi-
tas assignatur. Hanc igitur tam præclaram,
tam acceptabilem sibi electus electam, di-
lectus dilectam, sponsus sponsam, rex regi-
nam, Christus Ecclesiam fidei vestræ cre-
didit, prudentiæ commendauit, ut scilicet
ad curam & custodiam eius, cum timore
nominis eius, omnem diligētiā, omnem
sollicitudinem impendatis, quatenus om-
ne opus eius studio vestro, quantum vobis
possibile fuerit, dirigatur in bonum, & ipsa
integra & illæsa sub vestrâ defensione, &
Christi protectione consistat. Ad hoc si-
quidem fides & prudētia procuratoris in-
quiritur, ut per fidem sua domino seruetur
vtilitas, per prudentiam ingruentes à fa-
milia molestiæ depellantur, fundatum est
vestro tempore non soluetur. Solui autem
necessē est, si inexperto regulam regula
conseruanda mandatur, si imperito agri-
colæ credatur noua plantatio, si denique
cuiquam alicuius rei magisterium creda-
tur, cuius ille non attigit disciplinam. Per-

ARNVLPHI EPISCOPI

niciose siquidem vinea propaganda committitur ei, cuius est studium potius extirpare. Vnde etiam si eum, de quo agitur,
electrum fauor Girardum aliqua electionis forma defenseret, quia pro Ecclesiis libertas electionū introducta est, liquet quia quod earum fauore comparatum est, hoc ad earum læsionem retorqueri non debet. Retorquebitur autem, si electionis fauor usque in detrimentum principalis causæ processerit, si non quis, vel ad quid, sed qualiter electus sit, attendatur: nec finis aut utilitas operis, sed sola negotij series exquiratur. At verò quod hic electio nulla præcesserit & verū est, & omnis Ecclesia contestatur præter paucos, quod ad optādam sacerdalem personam amor & desideriū sacerdotalitatis adduxit. Quorum primus adolescens & frater est, secundus ex familiari neophitus, tertius nescio qua sanguinis cognatione coniunctus, quartus claustralī disciplinæ mancipatus à puerō, imberbis adhuc, & nihil sitiens penitus nisi mundum. Quos ille per furtivas literas studio fratris, persuasionibus & promissis illectos ad hoc scisma protraxit, ratus securè quidlibet aduersus paupertatem Ecclesiæ præsumendum. Spera-

bat enim aduersus reliquos omnia posse
trium aut quatuor huiusmodi testium de-
positione probari, quoniam negantis factū
per rerum naturā nulla est probatio, actori
autem onus probationis incubit. Sic opus
illud primò quidem de ambitione conce-
ptum est, exinde verò temeraria levitate
promotum, ut ad extremum posset periu-
riis consummari. Accessit etiam post modū
propter iniuriam quam passus est ex incō-
moditate fiducia, ad quam tamen si cum
inconsulta protraxit ambitio, nec innocē-
tibus imputandum est, nec in detrimentū
Ecclesiæ conuertendum. Porrò in actores
scleris seueritatis Apostolicæ vindicta
procedat, personæ verò quæ læsa est, salua
tamen indemnitate Ecclesiæ, consulatur,
ut reis pœna, læsis remedium, sua religioni
iustitia conseruetur. Cæterū de eo quod
factum est, innocentiam suam multis Co-
mes excusat, adeò ut auctores ipsos, licet
ipsius se putauerint gratiā promereri, Ec-
clesiastico permiserit arbitrio puniendos.
Neve aduersus libertatem Ecclesiæ labo-
rare credatur, vniuersam Ecclesiæ disposi-
tionem Archiepiscopi nostróque scilicet
Episcoporū consilio relaxauit. Ecce domi-

*onus probandi aucti-
onem incumbit.*

ARNVLPHI EPISCOPI

ne in volūtate tua vniuersa sunt posita, nec
est qui possit tuæ resistere voluntati, esto
officij tui sedulus executor, ne personarum
vel causæ merita confundantur: ut reos sci-
licet castigatio digna coērceat, læsos pia
miseratio consoletur, regularis autem con-
uentus accipiat patrem regulari institutio-
ne formatū, ne statuæ aureæ caput æneum
tuo, quod absit, opificio dicatur affixum, &
vbi ex priuilegio prædecessorum tuorum
Archidiaconos sacerdtales esse nō licet, sen-
tentia tua creet Episcopum sacerdotalem.
Valeat in Christo sanctitas vestra.

Comendatoria.

*Ad Ricardum de Alm. Præcent.
Lincoliensis.*

Icet pro latore presentium A. ve-
stræ præsens supplicauerim cha-
ritati, preces tamen censui literis
prosequendas, vt quātitatem de-
siderij mei tam viuæ vocis alloquiū, quām
literarum instantia declararet. Sperat hic
impetratis à me literis, à vobis impetrasse
quod postulat, quia quasi certus est preces
meas apud dilectionē vestram optato nul-
latenus frustrandas effectu. Cūmque solus

charitatis affectus omnem possit inter nos formasse fiduciam , accedit tamen quod utilitatis vestrae detrimenta non quero, quamuis gratia mea vestro iudicio qualibet plurimo prouentu dispendia compenset. Facietis itaque cum hilaritate quod petitur , ut ipsa facilitate meriti quantitas augeatur, quia saepius officij liberalis exhibito creat vel firmat amicitiae veritatem. *amicitiae*
Licet enim ipsa in sua simpliciter puritate consistat, tamen extrinseca frequenter accessione distrahitur, adeo ut iniuriis irritata deficiat, & quasi delinita beneficiis conualescat. Porro ipsa beneficiis odia conquiescunt , & mirabili mutatione in contrarios vertuntur affectus . Siquidem necesse est diligas quem odisti, si cum ad meliorem affectum à pristina malitia transisse cognoueris , affectumque tuum aliena sibi formidabit affectio, ut semper diligenter diligas, & oderis odientem . Oportet igitur ut sibi inuicem bene utriusque conscientia respondeat, ideoque ultrò citroque absconditæ voluntatis argumenta procedant, quia operibus credendum esse ipsa nos Euangelicæ doctrina veritatis instruxit. Semper diligentis animus ad alterius

ARNVLPHI EPISCOPI
est, quam ad sua vota propensior, & præ-
ueniri desidiam reputas tota semper festi-
nat diligentia præuenire.

*morbis grandibus et saevo
vita longa, suorumque
poterit ubi vita quatuor
a gressu possit.*
Ad Abbatem Cist. & fratres eius.

GOnfectus senio & aliquarum
ægritudinum grauatus accel-
eru, ad Medicinæ salutare re-
medium confugere, & con-
fracta laboribus mébra necessaria requie
subleuare constitui. Siquidem in perni-
ciem meam veluti coniurata veniunt de-
bilitas, infirmitas, & senectus, mihi que tot
incommodorum instantia fiduciam vitæ
longioris abrumpit. Accedit extrinsecus
negotiorum quibus distrahor importuna
vexatio, quæ miserabiliter anhelantem,
vel ad momentum etiam respirare non si-
nit. Siquidem sæpius ad Regales cum cæ-
teris trahor angarias, eorumque quibus
deesse non possum, frequentibus infestor
iniuriis, media omnia interim tot tantis-
que laboribus sumptibusque constra sunt,
ut nec ad tolerantiam corpus sufficiat, nec
ad impendium facultates. Porro si hæc fa-
luti etiam non obliiserent animarum; viro

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 80
tamen bono tolerabilius videretur, si detri-
menta præsentium ad prouentum profice-
rent æternorum. Sed hominum semper
procedente malitia, & in deterius diebus
singulis excedente, cum bona, tū corpora,
tum & animæ simul ruina pariter inuoluū-
tur, & formidabili plerunque cōsumman-
tur euentu. Quia igitur sapientis est casus
huiusmodi sagaci prouidentia præuenire,
oportunitas loci mihi fuerat exquitēda,
vbi quietem meā nec causarum tumultus
infestet, nec incursus multitudinis inter-
pellet, sed exēplo meliore semper honestati-
s studia conualescant, & ad veræ virtutis
opera omnis possit occasio deseruire. Su-
per quo cum ad multa loca multorū pre-
cibus & desideriis inuitarer, quidam locus
ordinis vestri qui dicitur mortui-maris in-
ter cuncta complacuit, quia mihi visus est
multis commoditatibus opportunus. Si-
quidem de antiqua familiaritate plurima
sumus inuicem charitate coniuncti, mu-
tuāmque gratiā vetus notitia alterna ope-
rum exhibitione firmauit. Itaque extra
terminos, intra quos secundum ordinem
vestrum, arctioris abstinentiæ decreta ser-
uantur, domum mihi moderato sumptu

A R N V L P H I E P I S C O P I

statui construendam, cuius sobria necessariis usibus amplitudo sufficiat, mensuram tamen regularis ædificij non excedat. Sanè exclusi erimus, commeatu tamen familiaritatem prouidè, quām clementer indulto, ut à transgressione regularis obseruantæ seueritas arceat, & tamen ab Ecclesia sanctisque fratrū colloquiis misericordia non excludat. Porro per exteriora nullus reseruatus ingressus est, quo scilicet inutilis frequentiæ tollatur occasio, & nihil nisi per communē portam sub oculis & sancti solertia ianitoris accedat. Scio plurimam eos de nostra commoratione concepisse lætitiam, atque eis utinam inde proueniāt commoda quæ præsumunt, vt scilicet dignus sit expectatione prouentus, & aliquid bonæ opinioni corum de iudicio nostræ præelectionis accedat. Quia verò locum illum nouimus specialius ad vestram sollicitudinem pertinere, propositum nostrum vobis indicandum duximus, rogātes vt & vestræ charitati complaceat, sanctoque vestrarum precum suffragio muniamur, & auctoritas vestra vota sanctorum fratrum exhibaret, & rescripto quolibet aut mandato confirmet.

Ad

*da hafornuonque
nusserij gristanij.*

Est in Episcopatu cui, Deo per-
mittente, deseruio, monasteriū
quoddam nomine Gristanum,
quod aliquādo suavitatis odo-
rem circumquaque diffudit, sed in diebus
Abbatis istius merita diu laborauit infamia,
sic & præsentes vidisse constat & re-
motos audisse. Nec enim infra domesticos
parietes contineti scandala potuerunt, quæ
procedētē temeritatis audacia, publicis of-
ferebātur aspectib⁹, & per ora publica per-
sonabant, quoniam fratres loci illius ab o-
peribus eiusmodi nec timor Dei, nec ho-
minum reverentia cohíbebat. Quorum
quantò maior immanitas extitit, tantò la-
tius celeriūsque fama discurrente vulgata
sunt, maiorēmque apud omnes contraxit
offensam, quod palam tanta à sanctuario
procedere malicia videretur. Siquidē nulla
vel modica erat intrinsecus regularis ob-
seruantia disciplinæ, minor extrinsecus ex-
hibitio charitatis, quia nec hospites agno-
scere consueuerant, neque quicquam pau-
peribus impartire, sed ipsas etiam commu-
nis mensæ reliquias, ad impēdendum pri-

L

ARNVLPHI EPISCOPI

uatis affectibus dissolutionis impudentia
referuabat. Parua sunt hæc, sed ad sanguinem prorupit insania, ut à nulla specie criminis manus eorum seruaretur immunes. Constat eos in clauistro strictis inuicē concurrisse cultellis, sicut cicatrices vix obductæ, & recentia quoque vulnera protestantur. Ac nisi de cultellis eorum pugionem prouida sustulisset antiquitas, sæpius usque ad alternas etiam mortes intemperatiā deſeuifset. In monasterio ipso immersam aquæ frigidiori mulierem vis algoris extinxit. Ut enim miracula facere crederentur, & quibuslibet commētis sacerdotialium personarum frequentes iūuitarēt accessus, sanitatis remedia promittebāt ei qui se incantatæ ab eis, nescio quibus carminibus, aquæ septies sustineret immergi. Ægra itaque mulier aquæ glaciali frequēter immerſa inter manus cōprimētiū monachorū cōgelata decessit, dū vim algoris ęgritudo nō sustinet, & profana religio naturam potius irritat ad perniciem, quam Dei misericordiam ad salutē. Ministrum coquinæ cū debitū pronus exequeretur officium quidam è monachis interfecit, quia dicebatur aliquando de niimia illius circa uxorem

suam frequentia murmurasse. Ceruicem itaque ipsius adacto totis viribus pistillo grandiore confregit, & innoxio sanguine pulmenta, quæ tam ipsi, quam cæteris fratribus parabantur, aspersit. Super quibus cum ego saepius Abbatem charitate debita commonerem, nec enim seuerius cogere permittebar, dissimulandum potius, quam distinctione monastica censuit occurrendum. Dedit itaque dissimulatio remissa fiduciam, quia sibi nihil non licere credebāt, quos nec ratio propria, nec aliena correptio refrænabat. Porrò nulla Abbatii disciplinæ restabat auctoritas, quia etiam à reprobis eorum disciplina contemnitur, in quibus bene compositæ mentis opera non videntur. Augebat audaciam quod eis in clauistro necessaria non dabantur, sed ad recompensationem subtractæ necessitatis liberior eis euagandi licentia laxabatur. Solent enim huiusmodi personæ patientius inopiam portare quam regulam, & à Prælatis suis peccandi libertatem quamlibet egestate mercantur. Ad hæc, ut nulla eis effluendi deesset occasio, Abbas saepius quasi ad disponenda bona monasterij nauigabat in Angliam, ubi sine

ARNVLPHI EPISCOPI

con sorte degens & iudice , gulæ & lateri
sicut dicebatur indulgens , parum aliquid
præter vagos discursus , & lites superiuacuas
exercebat . Vbi nouissimè per continuum
ferè biénium demoratus , Episcopalis edi-
cti necessitate reductus est , statumque mo-
nasterij deteriorem satis quām reliquerat
reuersus inuenit . Cūmque statim cœpisset
monachorum cōtentionibus infestari , fe-
stinantem redire prohibui , nisi ordinato
monasterio prius mihi personas idoneas
quæ curam gererent vicariæ sollicitudinis
assignasset . Ipse verò Episcopali , qua ei
præmineo , auctoritate neglecta , & debito
obedientiæ , de cuius exhibitione vinculo
iuratæ professionis tenetur astrictus , sine
conscientia mea reuersus est , nemine do-
mi relicto qui sciret vel curam ordinis ge-
rere , vel temporalia dispensare . Quod sta-
tim miserabiliter ipse rerū declarauit euē-
tus , quia is quem Procuratorem relique-
rat , ebrius in Refectorio super cœnā duos
de fratribus cultello percussit , atque ab eis
incontinenti pertica , quam casus obtulit ,
interfectus . Quo facto veterū criminum
renouata memoria , ab omnibus omnia
quasi sub vnum reducebantur aspectum ,

omnésque publicæ existimationis & famæ iudicio condemnati sunt, quia nullus erat quem nocentem non fecisset operatio vel consensus. Itaque eiiciendos omnes plerique dixerunt, & personas noui ordinis penitus inducendas, ut & in istos vindicaret eie&tio, & ordinis obseruantiam nouorum institutio restauraret. Porrò ego eie&tis interfectoribus, quia sic tam ratio, quam meatus potentiae sacerdotalis exegit, ad momentum quæ mihi visa sunt disponenda disposui, nec enim quicquam perpetuum constitui poterat, cum de nullo eorum satis bene vel fama vel conscientia responderet. Feci tamen quod potui, donec fortiore consilio possit omnis plantatio, quam pater celestis non plantauit, auelli. Vestris hoc reseruatur manibus, vestris erit viribus adimplendum, quia ei quod radices altius egit manus non præualent imbecilles. Super quo si ad communia totius ferè regionis vota respicitis, iij quos ad perpetuam dissolutionem par coniunctus, alternique cōsensus gratia fœderauit, segregandi sunt, & sigillatim per regularia monasteria dispergendi, ut occasionem peccandi, quam de prauæ familiaritatis consortio quæsic-

ARNVLPHI EPISCOPI

runt, apud ignotos de diuisione & diuersitate conuersationis amittant. Commune votum est, ipsique etiam Principi complaceret, in regulares Canonicos monasteriū transformari, vt ipsa species ordinis innouata, pleniū omnem possit tollere vetustatem, & cetera exempli seueritate monasteria terreantur. Sunt enim aliqua, quorum in tantam dissolutio prorupit audaciam, vt confusionem suam deprehensa etiam non agnoscat iniquitas, sed induratis frōtibus semper obstinatio conualescit. Sic autem locus ille in statum dignioris ordinis exurgeret, & vbique semper quasi præsens esse Apostolica seueritas credetur. Præterea prouinciam nostram frequētibus monasteriis, ipsisque nobilibus certum est abundare, Canonicas regulares paucas habet, ipsasque pauperissimas, adeò ut ad quærendum ordinē illum plerunque nostros oporteat ad regiones extrancas demigrare. Bonum itaque plerisque videatur, si paucitas monachorum dissoluta in multitudinem regularium ex cresceret clericorum, & collocatis ut iliter eis qui ab institutione materna desciuisse noscūtur, cæteri materno possent gremio contineri, ne

tanquam ablactati ad ignotarum matrum
seueriores depellātur amplexus. Siquidem
hoc facto in nocentes vtilis vindicta pro-
cedet, quæ sublata corporibus peccandi li-
centia, totum ad salutem conferet anima-
rum, & ad consecranda nouellæ planta-
tionis auspicia proniora fauoris publici vo-
ta concurrent.

Ad Ricardum Pictau. Archid.

de aquorum donacione

 Vòd dilectio vestra propitiam
senechtutis meæ sollicitudinē
gerat, multis claret indiciis,
cōque maximè quòd vtilia
debilitati meæ tantò támque liberali stu-
dio subsidia prouidetis. Siquidem ad va-
rios labores frequēs me trahit occasio, nec
fidem excusationi malitia temporis adhi-
bet, sed quod infirmitatis est desidiam re-
putat, aut figmentum; adeò ut sæpius in
potentiam ipsam cogatur expugnare ne-
cessitas, miserisque conatibus sepultæ vir-
tutis instaurare defectum. Perniciosum au-
tem est valetudinem infestare laboribus:
ne fortè vexatio vim doloris augeat, &
nouum aliquod ægtitudo de concussionis

Liiij

ARNVLPHI EPISCOPI

iniuria contrahat incrementum. Inuenit
igitur gratia vestra subsidium senectuti, la-
borique remedium, quo tam debile cor-
pus vegetari debeat, quam vexationum in-
stantia temperari. Siquidem duos equos à
vobis exactiore diligentia perquisitos ac-
cepi, quos ipsa statim pulchritudo primo
commendauit aspectu, post modum omni
vitio mundos inspectio diligentior appro-
bavit. Feruntur planè, neque sessorem qua-
libet inæqualitate concutiant, nec celesti-
tatem retardat æqualitas, neque pes aliquo
vnquam cespite retusus offendit. Non est
opus eos fræno cohibere, vel vrgere calca-
ribus; quia tanta facilitate cuiilibet man-
cipantur obsequio, ut omnem sessoris ex-
plorasse videantur affectum. Denique tan-
ta progressus eorum suavitate procedit, vt
qui insidet non incedere, sed labi; nec se-
tam equo vehi, quam quasi nauicula qua-
dam subuehi verius arbitretur. Porro va-
rietas ipsa ad augmentum quoque volu-
ptatis accedit, quia tedium identitatis no-
uitate distinguitur, nec eidem sellæ semper
inhærere necesse est, sed modò huic, mo-
dò alteri quantum libuerit insidere. Viden-
tur mihi virtutem pristinam, patientiam

pristinam reddidisse, iuniorumque discursus tanta leuitate cōsector, ut membra nequaquam contineri, sed potius suavi motu sentiam vegetari. Reddidistis me mihi, immò eis qui meo quondam fruebantur, sed modò fungebantur obsequio, & de claustris domesticis clemēter eductum ad solita publicæ congratulationis gaudia reduxistis.

*Ad Laurentium Wesmonast.
Abbatem.*

Gratulatio-



Ro Simone nostro gratias vestræ refero charitati, quia ipsum innatæ vobis bonitatis oculo respexit, ipsique beneficium non temporale, sed in longiora duraturum tempora prouida munificētia pr̄stitistis. Magnum est quod ad horam subuenit indigenti, maius quod in dies annosque renascitur, quod vt s̄pius conferat frequenti reuolutione denuo reformatur. Sanè beneficium hoc non minuitur tempore, sed augetur, prouētusque perseverantiam rediuiuæ conseruat industria largitatis. Multa simplicem donationem commoda prosequentur, totiesque

ARNVLPHI EPISCOPI

donatū iri videbitur, quoties noui redeunt
tium fructuum manipuli cōgrentur. Ma-
donus iurius at
ius etiā est ius aliquod donasse quām cor-
pus, quoniam iura frequenti perceptione
subnixa sunt, simplici verò traditione cu-
iuslibet corporis donatio consummatur.
Ius dedistis, ne citiū munificentiae vestræ
gratia præteriret, vt sicut apud vos virtutis
non tepeſcit affectio, ita prorogata in per-
petuum liberalitatis vestræ beneficia con-
ualerent. Præterea liberalitati prudentia
discretionis accessit, quoniam ei dedistis,
cuius vobis honestas, cuius industria, cu-
ius sedulitas officiosa cōplacuit. Nec igno-
rare personæ, nec inutili contulisti, si ei cu-
ius merita præcesserant & sequentur, qui
vobis animo & corpore ad cumulum gra-
tiatum referat actiones, vt iure debeat de-
exteriori fructu & conscientiae testimonio
gloriari. Ego tamen impensum quod fe-
cisti reputo mihi potius, quia quod prius
differebatur, ad prima statim intercessio-
nis meæ verba cōcessum est, vt meam spe-
cialiter ex eo videremini gratiam affectas-
se. Sanè maior extitit in exhibendo dona-
toris hilaritas, quām in accipiendo deside-
rium postulantis. Pulchrum sanè & præ-

dicandum beneficium, nulla suspēsum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis cōparatum. Nihil in eo fuit quod beneficij minueret maiestatem. Præuenisti me qui omnes occasiones venari decreueram, ut vos impenso quolibet libera-liter officio præuenirem. Igitur me debitorum me magnificēntia vestra constituit, ut ex hoc nunc soluere debeam, non donare: quia quod bene merenti rependitur, illustrati donationis nomine non meretur.

*Ad Iohan. & Will. Cardinal. pro Rogo
Eboracen. Archiepiscopo.*

Commendatoria



Va fide, quo studio, quo affetu, circa initia tempestatis istius ad vnitatem Ecclesiae, & honorem Romani Pontificis dominus Eboracensis intenderit, vestra qui ex magna parte vidistis & audistis, prudentia non ignorat. Meruit excedentem gratiam excedens strenui propugnatoris audacia, sibique inuicem frequentibus officiis tam operum magnificencia quam rerū munificentia cōcurrerunt. Præsumebat non defuturam gratiam per-

ARNVLPHI EPISCOPI

seuerantiae meritorū, sed iam pristina perseuerātibus meritis gratia resulget, verū in pœnam quoque conuersa est ipsorū expectatio præmiorum. Perseuerat semper, & aliis tepeſcētibus ipsius deuotio non tepeſcit, quia videt totam nondum conquieuiſſe malitiam, & ab his quorum fides inuictissima credebatur, profana cōſilia percussis etiam fœderibus agitari. Utinam ad notitiam Romani Pontificis & vestrarum, relatione veridica perueniret, quātum nouiter apud Principē nostrum, Regem loquor Anglorum, Catholici sacerdotis industria sancta profecit, cùm eum ſcilicet ad ſcisma maximi quoque Principum invitarent, ipſumque metus ſeueritatis Apoſtolicæ perterreret. Siquidem virtus eius præcipue nobis nimirum & aliis annitentibus, eum in fide & obedientia Ecclesiæ confirmauit, ſequere Romano Pontifici paritum ſuper eo caſu quem audistis, quātum dictauerit ratio, vel laxauerit misericordia, coram multis Ecclesiasticis ſæcularibꝫque personis publice in manu Rhomagensis Archiepiscopi fide corporaliter interueniente firmauit. Porrò ipſe ad visitādam Romanam Ecclesiam plurimo

iamdudum desiderio tractus est, ut ope & consilio vestro motum maiestatis Apostolicæ, si quem aduersus eum de falsa suggestione contraxit, reuocaret in gratiam, ipsique & vobis in omnibus sinceritatem conscientiæ suæ certissimis indiciis approbaret. Accingebatur iam, cùm à Rege ipso & nūtiis eius qui nouiter à vobis reuersi sunt terribile percepit indicium, Imperatorē scilicet ipsum singulariter excepisse, cùm aliis, interuentu Regis, securitatem transitus indulgeret, quia scilicet præsumpsicerat in personā eius anathematis intorquere sententiam, & nomen eius in omnibus quos frequenter celebrauerat cōuentibus Ecclesiasticis infamare. Prouidete itaque amico vestro, nec illum ad partes illas aliqua necessitatis instantia trahi, neque caput cius tot tantisque periculis permittatis exponi. Ad hæc, bonum est Ecclesiæ Dei viros fideles iuxta infideles aliquando commorari, vt ipsorum virtute & prudentia malitia reprimi possit, & inconstantia contineri. Profecto apud nos prævaluuisse credebatur iniquitas, nisi sacerdotum industria restitisset, per quos repressa viriliter intemperatia requieuit: & ad vni-

ARNVLPHI EPISCOPI

tatem quos velut in fugam terror Ecclesiasticæ potestatis impulerat, sunt reuersi. Nondum tamen nauim nostram portum perfectæ securitatis credimus obtinere, quin adhuc & anchora possit de percepta statione cōuelli, & nauis ipsa rursus ad procellas pristinas flatu malitiæ reuocari. Ut ilius ergo fore credimus eos qui prouidere possunt non amoueri, sed ad solerterem vigilis adhibere custodiam, ut quoslibet euentus prudenter & instanter obseruent, & momentaneam hominum fidem necessaria stabilitate confirment. Ad quod virum de quo scribimus multis experimentis nouimus efficacem, eique ad referendas vobis gratiarum actiones maiorē deuotio, quam vexatio tribuat intellectum.

*modularia . Ad Dominum Papam Alexand. pro
Ioscelo. Salesbiriensi Episcopo.*

 Ro venerabili patre nostro, & amico charissimo Io. Salesbiriensi Episcopo, maiestati vestræ preces affectuosas offerimus, & benignitati deuotas gratiarum exsoluimus actiones. Pepercit ei misericordia vestra,

parcendūmque impotentiæ eius ratio postulabat, quia grauitate corporis, ætatis prouectu, debilitate plurima circumuentus, quantum æstimare possumus ad vestram non posset præsentiam peruenire. Super eo autem pro quo grauiorem ei vobis placuit irrogare sententiam, quantum de intimo cōscientiæ eius, quantum de opinione & attestatione publica, quantum de propria existimatione præsumimus, quod ad factum illud lamentabile pertinet, omnino credimus innocentem: quia nec honestas hominis, nec liberalis animi nota mansuetudo, nec adeò tot informata temporibus, tot experimentis alius erudita prouidi senis prudentia descuisset. Porro voluntas illa ab his à quibus opus illud tam malitiosè commissum est, omni studio seruabatur abscondita, ne cuiusquam præscientia concepti maleficij præpediret effectum. Quis verò qui eiusmodi malitiæ conceperet affectum personæ cuiquam, præsertim Ecclesiasticæ reuelaret, cùm non in vnius tantum caput stringi gladius, sed in ceruicem totius Ecclesiæ videretur. Vidimus nos virum istum pro quo scribimus, in initio tempestatis in-

ARNVLPHI EPISCOPI

ter Coëpiscopos scopo illi studiosius ad-
hærentem, multasque iniurias pro liberta-
te Ecclesiæ & ipsius gratia pertulisse. Quæ
sanè ei apud eum perseuerauit gratia, do-
nec Ragialdus Archidiaconus, qui huic ea
quam scitis etiam sanguinis affectione de-
uinctus est, regalibus mācipatus obsequiis,
regalia cœpit ad vos mandata deferre, quæ
vtilitatibus Archiepiscopi credebantur in
aliquibus obuiare. Decretum est igitur pa-
trem punire pro filio, vt eum ab obsequiis
illis paterni compassio doloris auerteret,
vel in vtrunque grauior animaduersio vin-
dicaret. Vtinam ille zeli feroem tempe-
rasset ad tempus, quia in causa Ecclesiæ
quam suscepérat solerti mansuetudine uti-
lius proficere potuit, si pacificus esset in-
gressus eius, si suas vindicare distulisset of-
fensas, neque repentinis infestationibus io-
cunda nouæ coronæ gaudia demigrasset.
Sanè de eo quod de corona factū est, Epi-
scopi neque tunc, nec adhuc se credunt in
aliquo deliquisse, quia sicut aiunt litera-
rum vestrarum præcessit auctoritas, & eos
ad hoc ipsum multis exemplis antiquitas
informabat. Si tamen in hoc eos aliqua in
parte delinquisse constaret, delicti tamen

quantitas

quantitas bonitatis Apostolicæ misericordiam non excedit, & de reliquo secundum assignatum à sanctitate vestra modum, de huius innocentia diligentiae vestræ remota propterea ambiguitate constabit. Supplicamus igitur precésque iam cum fiducia ducimus offerēdas, quia ex hoc nunc tempus est miserendi, & post diutina flagella paternæ pietatis visceribus abundare. Absit enim à benignitate vestra ut personam venerabilem, tot acceptam bonis, tot laudibus illustratam, nouissima senectutis suę mœrore faciat & amaritudine cōsummare. Profectò preces nulla nos audacia compulisset offerre, nisi secundum rerum veritatem, & personæ meritum ipsum Apostolica dignum misericordia crederemus.

Ad eundem pro Gill. Londoniens. Episcopo.

Personam domini Lōdoniensis apud excellētiam vestram diligentius commendare superuacuum duxi, quia quod publicè notum est, nec accusatione solemini, nec multa commēdationis instātia certum est indigere. Siquidem

M

ARNVLPHI EPISCOPI

plenitudo virtutis eius & scientiae tot apud
nos eniuit argumentis, tot subnixa suffra-
giis, tot utilitatib' approbata est, ut quod in
multos dignatio diuina distribuit, hoc in
ipsum maioris affluetiae gratia cumularit.
Tractus est tamen iam diu homo sanctus
in causam, & sermonibus odij circunda-
tus, & expugnatus est gratis, & inuidiae
quæstionibus infestatus. Tractus est, inquā,
homo sanctus in causam; si tamē causa di-
cenda est, vbi nullam potuit contradicatio
facere quæstionem, vbi nullum litigium,
nulla iudicarij ordinis forma processit: vbi
sine reo & teste idem actor & iudex solita-
riam formauit de singulari voluntate sen-
tentiam. Felicem se iste & omni donatum
beatitudine iudicaret, si ei iudex suus audi-
torij communis aream impertisset, si cita-
tus venire, si conuentus respondere, si de-
nique dubium experiri potuisset sententiæ
fatalis cumentum. Sed in ipsum de alio re-
gno, de transmarinis partibus, de longin-
quo scilicet velut in occultis sagitta trans-
missa est, & hostis dum præuideri metuit,
gladium protinus capiti nescientis illisit.
Solent patres filiorū delictis virgam prius
adhibere quam baculum, & si correctio mo-

derata non proficit, seueriora post modum
flagella consumunt. Utius fuerat peper-
cisse personæ, in quam se nouerat totam
scandalizare prouinciam, quia ad bonum
pacis non tam pœna vnius, quam multo-
rum gratia profuisset. Videtur de motu
animi magis quam de charitate processisse
quod factum est, quia totam se protinus
ad pœnam irrogandam potentia præsi-
dentis effudit, nihil reseruans in posterum,
in quo vel dispensare prudentia posset, vel
misericordia subuenire. Fuerat fortassis
primum ab Episcopali suspendendus offi-
cio, ab altaris ministerio prohibendus, à
liminibus sequestrandus Ecclesiæ, ut con-
tumax nouissimè gladio feriretur: nec ad
perniciem fratris libentius eucurrisse, sed
cogi videretur iniutus. Neque enim salu-
tem hominis velle credendus est, qui festi-
nat ad sanguinem, sed delinquentes Ec-
clesiastica etiam censura præmunit, ut sci-
licet liberentur dilecti, quos preciosi san-
guinis redemit effusio, & fugiant à facie
arcus, ut in contumaces tantum spicula su-
perbè prouocata descendant. Quòd si etiā
certum sit transitum litteris & legatis ad
cum perium nō fuisse, sed omnem viam

ARNVLPHI EPISCOPI

legitimis edictis sacerdotalis potentiae terrore præclusam, delictum alienum innocentiae istius præiudicare non debuit, nec ipsi de iure potuit poena quam non merebatur infligi. Veruntamen est delusa potestatis astutia sagacitate perferentium aliquas ad ipsum literas, & mandata venisse, quibus tota diligentia paruit, omnibus scilicet vel denuntiatis publicè, vel effectui debito recipiatis. Porro si in tanto discrimine rerum consulenda videretur præsidentis auctoritas, nuntiis huius ad eum omnis negabatur accessus, nullumque paternæ charitatis extabat indicium, ubi ei consilij gratia simul & remedij copia tollebatur. Ad haec nobis qui rerum veritatem ex magna parte tam experimeto, quam fideli de proximo relatione cognouimus, licet apud maiestatem vestram de pura testimonium conscientia perhibere, virum inter minas alterius potestatis & alterius insidias constitutum, quatenus ad eum peruenire potuit, Ecclesiasticis semper præceptionibus obedisse, nec ab initio discordiae causam, vel postea fomentum aliquod audaciæ præstitisse. Ille vero, sicut dictum est, non obseruata causa, vel ordine virum, cuius

laus est in Ecclesia, ad scandalum omnium bonorum in facie cōfudit Ecclesiæ, & animam sanctam amatitudine simul & mœstre compleuit. Benedictus autem Deus, qui aduersus huiusmodi sanctam Romanā Ecclesiam nobis ad solemne refugium, & remedium salutare constituit, ut eius scilicet præsulatu reducatur ad formam, quod cuiuslibet insolentia vel imperitia denigravit ad culpam. Siquidem quod actum fuerat vestræ nimirum discretionis auctoritate correctū est, accepto scilicet ab isto iuramento, quod in tempore vobis complacito, super his de quibus agebatur, mādatis Apostolicis obediret. Stabat ergo vir innocens sub vestri securus expectatione mandati, sed posterior emissā est seuerior quidem priore sententia, nullōque mandato, nullōque præmisso cuiuslibet vocationis aut conuentionis alloquio, in idem vinculum, immō fortius literis maiestatis vestræ retrusus est, eīque remedium manuetudinis vestræ in quo respirare cœperat est ablatum. Mirati sunt qui audierunt tantum aduersus innocentiam personæ, tantum aduersus ordinem iurisprudentiæ vestræ subripi potuisse, cùm ipsum à reli-

ARNVLPHI EPISCOPI

gione iuraméti nullatenus defciuisse con-
statet , nec ipsum post modum in aliquo
iudicialis experientia condemnasset . Cer-
tum est , & omnibus regni illius incolis
manifestum , hominem sanctum in his
quæ malè acta sunt nihil voluntate , ni-
hil consilio , nihil ope deliquisse ; cique
generale testimonium de pura omnium
conscientia perhibetur , ipsum Ecclesia-
sticis semper præceptionibus fideliter o-
bedisse . Sanè verum est tam ipsum quām
alios incumbētis potentię vehementiam
timuisse , maioriisque periculi necessitate
compulso dissimulasse plerunque , & sa-
pius exhibuisse modestiam quām rigo-
rem , & tanquam seductores motum po-
testatis consultis aliquando blandiciis de-
linisse , vt eis veritatem iustitiæ , quatenus
id fieri poterat , puritas conscientiæ reser-
uaret . Profectò in articulo diei illius vi-
dimus statum Ecclesiæ partium nostra-
rum sub tanto discrimine constitutum ,
vt scissuræ quantitatem nulla potentia ,
nullæ diuitiæ , nulla posset ad plenum di-
lignantia resarcire : nec exsors tanti mali ip-
sa etiam Romana Ecclesia præterisset , nisi
incendium quod ex crescēbat Pontificalis

temperantia restinxisset. Super quo quantas possumus de intimo cordium sanctæ prouidentiæ vestræ gratiarum referimus actiones , quod paterna nobis clementia pepercistis , & malum à nobis longanimi patientia studiis auertere , quod nostris credebatur proculdubio ceruicibus imminere . Inde est quod post multos metus laborésque diutinos , & naufragium imminens , portus nobis securitatis & tranquillitatis incipit apparere , certaque spe per merita vestra lætos exitus , & iocundos præstolamur euentus . Porro licet personam pro qua scribimus facile sit in omnibus excusari , testimonia tamen & preces venerabilium personarum benignitati vestræ credidit offerendas , quæ nulla unquam audacia vestram attentarent in aliquo fallere sanctitatem . Quod si ad omnimodam fidei firmitatem vterius procedendum crediderit vestra discretio , paratus est coram legatis vestris aut personis quib⁹ hoc vobis delegare placuerit , omnē à se culpam manifesta veritate depellere , & si res altius discussę fuerint , inuenietur in plerisque laudem quoque plurimam sag-

ARNVLPHI EPISCOPI
ci solertia meruisse. Affectabat omni de-
siderio ad vestram venire præsentiam, id-
que iam secundo an posset expertus est, sed
progressum aliquatenus ætas prouectior,
personæ grauitas, difficultas itineris, &
senectuti semper cognata debilitas redu-
xerunt. Ad hæc non solum nostra pro eo,
sed totius regni, immò etiam regnorum
desideria, pietatis vestræ genibus aduol-
uuntur, ut secundum datum vobis à Deo
spiritum, iustitiam eius conseruetis illæ-
sam, aut si quid etiam imperfectionis est,
oculi vestri videant æquitatem, quia ni-
hil de indulgentiæ beneficio consequetur,
quod non excedentia personæ merita re-
compensent. Et nos quidem ista ad nul-
lius suggillationem, sed ad huius prouen-
tum scribenda censuimus, quia & huic
Apostolica poterit gratia prouidere, &
aliis nihilominus de eiusdem discretionis
& mansuetudinis copia subuenire.

*Salutatio pro opere
copale inauguratorum*

Benedictus Deus qui ad Episcopalem vos vocat officium, & ad onera nostra pariter comportanda conducit. Gaudemus planè vestra ad honorem debitum merita promoueri, sed maiore gaudio commouemur, quia sapientiam vestram ex hoc nunc totam scimus utilitatibus Ecclesiæ mancipari. Me vero commune gaudium iustum est speciali lætitia celebrare, quia personā meā bonitas vestra speciali semper dilectione complexa est, & ego ad honoris vestri prouentum totis semper desideriis anhelaui. Concurrebant siquidem hinc inde alterna mutuae charitatis officia, cum alter non magis suis quam alterius optaret oportunitatibꝫ inseruire. Benè autem nobis in hac parte prouidentia diuina consuluit, quod cum sapientiam vestram ad alias partes multorum desideria trahebant, ipsa vos nostræ præsertim prouinciae reseruauit. Iustum sanè est eius vos potissimum obligari muneribus, eius necessitatibus inseruire, quæ vos suis aliuit yberibus, suo fouit amplexu, suis honoribus amplia-

ARNVLPHI EPISCOPI

uit. Mihi verò benignius indulgentia diuinæ propitiationis arrisit, quæ me ab amico nec diuersitate professionis abiunxit, nec locorum distantia separauit, sed nos quasi contigua positione coniunctos, ad frequentes cōparauit occursus, vt ad communicanda profusæ charitatis officia ipsa locorum occasio seruiat, & propinquitate corporum nihilominus propinquitas respondeat animorum. Interim profusis desideriis & deuotis orationibus arbitror insistendum, vt initia consecrationis vestræ diuina benignitas felici secundet auspicio, & ad executionem Episcopalis officij vos exuberantis gratiæ virtute confirmet.

Ad Bald. Nouionens. Episcopum.

Venerūt ad nos sacerdotes quida de Episcopatu vestro, quos ad fraternitates constituendas, & faciendas collectas ad redificationem Ecclesiæ nostræ, quia periti & instructi super huiusmodi officio dicebantur, duximus retinendos. Cùm autem perlustrato Episcopatu apud nos aliquan- diu resedissent, omnes ferè quasi facto ag-

mine fuga clandestina discesserunt. Me quidam in summa maiore x x x. lib. suis fi-deiuissorio nomine obligatum creditoribus relinquentes , quas ego nimirum omnes seruata promissionis meæ veritate per-solui. Sed & latori præsentiu R.sacerdoti nostro eadem fraude l x x. solidos abstulerunt, cùm ipsi nobis tactis sacro-sanctis Euangeliis iuramentum corporale , se fidem bonam nobis seruaturos in tota execu-tione negotij , præstitissent . Super quo charissimam nobis fraternitatem vestram obnoxius exoramus, non tam sanè recupe rationem pecuniæ, quàm vindictam tantæ fraudis & iniuriæ persequentes, vt nobis iustitia vestra satisficeri faciat, & tātum cri-men animaduersione debita corrigatis.

Ad Egidium Ebroicensem Episcopum.

 Vper causa quæ inter nos & Abbatem illum vertitur , dilectionem vestram ad præsens non oportet esse sollicitā, quia vos nec infestum Principi , nec ingratum Abbati reddere volumus aut debemus. Apud alium decreuimus experiri , quem

ARNVLPHI EPISCOPI
non tam facile vel metus abstergere pos-
sit, vel fallaces blandiciæ delinire. Sicut au-
tem ex literis promptum est intueri, ne-
quaquam vos ab executione maior retar-
dat auctoritas, neque necessitatem nisi vo-
lenti supplicatio precantis indicit. Quod si
de Abbatissa vobis idem constat esse pro-
positum, pro beneficio reputabimus si nos
præmunire voluerit, nec ad locum diém-
que præfixum frustrà permiserit vestra gra-
tia fatigari. Porrò simpliciter ambulare nō
potest qui lubricos tortuosos serpētis explo-
rat anfractus, qui cùm se plurimum profe-
cisse crediderit, ad ipsa callidè se sentit ini-
tia reuolutum.

causa dolinga. Ad dominum Papam Alexandrum. 3

GAUSAM quæ inter venerabi-
lem fratrem Hug. beati Vin-
centij Siluanectensem Abba-
tem & Garnerum sacerdo-
tem super Ecclesia de marinis vertebarur,
domino Henrico Siluanectensi Episco-
po & nobis Apostolica delegauit auctorita-
tas infra spatum duorum mensium, remo-
ta appellatione, ordine iudicario deciden-

dam. Nos verò utriusque parti infra tempus
nobis assignatum, locum & tempus præfi-
ximus opportunū, & adhibitis nobiscum
religiosis & prudentibus personis, scilicet
sancti Victoris Parisiensis, & sanctæ Geno-
uefæ & Augensi, & de Mortuo-mari Ab-
batibus, Gaufrido quoque Autissiodo-
rensi & R. de Curæio & Ric. tunc Con-
stan. Archi. nunc Abrincensi Episcopo,
multisque aliis tota fide & diligentia man-
datis Apostolicis studuimus obedire. Ab-
bas igitur qui actoris in ea causa fungeba-
tur officio, & possessorum in sacerdotem
iudicium intendebat, super quæstione fa-
cti multorum testimoniis usus est, ac tan-
dem septem præelectos testes, V. scilicet
sacerdotes regulares Canonicos, & duos
alios presbyteros experientiae nostræ pro-
posuit, quos diligentè examinationi subie-
ctos, in omnium prorsus inuenimus testifi-
catione concordes. Auditis quoque nihi-
lominus allegationibus sacerdotis ei dicé-
di in personas testium quod vellet fecimus
potestatem, sed multis propositis, & attētē
discussis, nihil inuentum est per quod ali-
quem eorum repellere posset, vel existima-
tioni alicuius in aliquo derogare. Receptis

ARNVLPHI EPISCOPI

itaque septem prætaxatorum testium iu-
ramentis, Abbatii possessionē Ecclesiæ re-
stituimus, quia visum est nobis debere de-
veritate tot taliūmque testium assertione
constare. Sacerdos autem nihilominus au-
dientiam Romani Pontificis appellauit,
sed quia refugium appellationis de causa
Apostolica auctoritate sublatum erat, sicut
prudentia vestra nouit, nec ipse de iure ap-
pellare potuit, neque nos debuimus exaudi-
re: Dominoque Rothomagēsi Archic-
piscopo, in cuius diœcesi prædicta Ecclesia
constituta est, ea qua fungebamur aucto-
ritate mandauimus, ut sicut à nobis iudica-
tum erat, inuiolabiliter faceret obseruari:
& ipse prudenter, prout decuit, adquicuit,
sicut ex literis eius promptum est intueri.
Verūm, quia audiuimus sacerdotem niti
refricare quod factum est, ad postulatio-
nem Abbatis apud celsitudinem vestram
veritatis testimonium perhibemus nos, sci-
licet quale proposuimus ab Apostolica
maiestate suscepisse mandatum, & ea ra-
tione quam diximus & ordine terminasse:

Adeundem.

*la pace Cantuarii
omni Archiep. et
Regis Anglorum.*

Nuntios & literas vestras dominus Rex Anglorum tanto maiore lætitia & alacritate suscepit, quanto maiorem eis benignitatis vestræ gratiam promittere videbatur. Vnde petitione vestra de pace Cantuariensis Archiepiscopi & suorum restitutione benignius exaudita, cum ad Archiepiscopatum suum redire, ipsumque cū omni integritate, qua tenebat quando exiuit, recipere, & deinceps in bona pace & securitate possidere, ad honorem siquidem Dei & Ecclesiæ, salua nimitem regni sui pristina dignitate, concessit. Visum nobis est verbū hoc nuntiis vestris, viris sanè prudentibus, placuisse: adeò ut eos qui præsentes erant, statim absolverint; & ad eos absoluendos qui erāt in Anglia, alter eorum, magister scilicet Viuvianus illicò transire, alter citra mare ad executionem condicē pacis consenserint remanere. Post modum revocato consensu, verbum conseruandæ in futurum Regiæ dignitatis admittere noluerūt, ea quæ disposita fuerant exsequi recusantes; cùm Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, religio-

ARNVLPHI EPISCOPI

sæ personæ, optimates regni qui aderant
pro bono tantæ pacis multis precibus in-
stitissent, quoniam in obseruatione regiæ
dignitatis nullatenus videbatur nobis li-
bertas aut dignitas Ecclesiastica prægra-
uari. Siquidem dignitas Ecclesiastica Re-
giam prouehit, potius quam adiuuat di-
gnitatem, & Regalis dignitas Ecclesiasti-
cam conferuare potius consueuit, quam
tollere libertatem. Etenim quasi quibus-
dam sibi inuicem complexibus dignitas
Ecclesiastica & Regalis occurruunt, cùm
nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ec-
clesia pacem sine protectione Regia con-
sequatur. Genibus itaque pietatis vestræ
quanta deuotione possumus aduoluti sup-
pliciter obnixéque depositimus, ne sa-
pientia vestra quasi literarum apices & co-
ceptiones verborum, potius quam rem
ipsam duxerit amplectenda, sed secun-
dum datum à Deo vobis spiritum discre-
tionis id agite, ne causa vnius in multorum
& ferè innumerabilium perniciem con-
uertatur, quia ad bonum pacis quādoque
magis proficit mansuetudo gratiæ, quam
seueritas disciplinæ.

Ad

*ad dubitum vocata-
ffirm. v. 4 p. 43.*



Vot scādala, quæ detrimen-
ta domui tuæ ex causa absen-
tiarum tuarum prouenerint,
tua fraternitas non ignorat.

Super quo cùm rem ad no-
stram certum sit diligētiam pertinere, præ-
cepimus te vagos cohibere discursus, &
debitas super gregem tibi cōmissum vigi-
lias vigilare: nec ad remotas discedere re-
giones, nisi prius disposita domo personas
nobis assignass̄ idoneas, quæ curā domus
interim gerere possent, eiq; in spiritualibus
& temporalibus vtiliter prouidere. Tu ve-
rò neglecta Episcopalis auctoritate māda-
ti, immò tua & animarum tibi commissa-
rum salute postposita, sine nostra cōscien-
tia discessisti, nemine domi relicto: cuius
res aut prouidentia dirigi posset aut dili-
gentia gubernari. Vnde sicut ad tuam cre-
dimus notitiam peruenisse, tot in eodem
loco postmodum probra cōmissa sunt, vt
& regionem nostram scandalizatam esse
constet, & monasterium turpiter infama-
tum. Per præsentia itaque scripta tibi mā-
damus, vt infra vicesimam diem post acce-

N

A R N V L P H I E P I S C O P I
ptionem præsentium literarum , remota
omni occasione redeas , nisi aut maris in-
clementia, aut corporali, quob absit, fueris
infirmitate detetus. Alioquin ex ea die ab
officio altaris & introitu omnium Eccle-
siarum, ea qua tibi præminemus, te noue-
ris auctoritate suspensum.

Ad monachos Bernacenses.



Icut electionem vestram in-
dulgentiore gratia præuenire
curauimus, ita factam, quan-
tū in nobis est, approbamus,
& personam electam plurime
dilectionis brachiis amplexamur. Quòd
autem ad assignandam vobis diem bene-
ditionis nütium destinastis, miror admo-
dum quod id quod per Priorem & maio-
rum personarum numerum competētem
fuerat implorandum , personam , ipsam
que solam & sine literis, nec moribus gra-
uem, nec ætate misistis, qui me benignè sa-
tis & vtiliter ad omnia respondentem su-
perbis non timuit irritare sermonibus, nec
superba ad magnum animi motum auda-
cia prouocare . Stulto itaque secundum

stultitiam suam responso quod oportuit
dato, vobis tāquam dilectis in Christo fra-
tribus, per proprium nūtium & literas du-
ximus respondendum, ne quis vos, quod
absit, de benignitate & gratia nostra fallaci
malignitate desperare compellat. Sciatis
itaque me infra decimum aut duodecimū
diein, ad Ecclesiam vestram, volente Do-
mino, redditurum, & tunc Priorem ad nos
cum numero fratrum competēte & electa
persona venire volumus, ut per eos nobis,
sicut ordo Canonicus exigit, repræsente-
tur electio, & auctoritatis nostræ munimi-
ne roboretur. Tunc communicato nimi-
rum vestro nostrorūmque consilio, ad be-
nedictionem dies opportunus poterit assi-
gnari, & nos si quid obstaculi videbitur ap-
parere, modis omnibus amouere curabi-
mus, & dare suum negotio præeunte sem-
per diuina gratia complementum.

Ad dominum Papam Alexandrum.

causa diliguta

CAUSAM quæ inter Hermerium sa-
cerdotē & Abbatem de Cultura,
super diminutione presbyteratus
Ecclesiæ de Bruslum vertebatur, maiestas

N ij

A R N V L P H I E P I S C O P I
vestra paruitati nostrę delegauit ordine iudi-
cario decidendā. Proposuit itaque Her-
merius presbyter presbyteratum prædictę
Ecclesiae, quē gerebat ab Abbatे, per vio-
lentiam decurtari, sibique integritatem
eius restitui, sicut antecessores eius posse-
derunt instanter exegit: proposita ad pro-
bationem testium multitudine, in quibus
necessitas aut ratio postularet. Abbas verò
inter antecessorem suū & Geruasium præ-
decessorem Hermerij super eadem re cō-
trouersiam extitisse respondit, causamque
à præsentia domini Cenomanensis ad au-
dientiam Turonensis Archiepiscopi per
appellationem fuisse translatum, ibique li-
tigium omne compositione amicabili dif-
finitum. Super quo literas domini Archi-
episcopi exhibuit, formam transactionis
pleniū continentēs. donationis nomine
non mercat. *Videntur multa deesse.*

partitio equi.

Ad Henricum Fiscanens. Abbatem.

A Mici nostri qui diebus istis Iero-
solymam profecti sunt, ex equite
me peditem reddiderunt. Et quia
indignum est hominem opinionis meæ

per manus humiliū in equitē reformari, in vestram id duxi gloriam cōferendum, quē non solūm equestris ordinis dignitas, sed etiam regij sanguinis excellentia sublimauit. Hoc etiam cō studiosius vestris censui meritis reseruandum, quia eos quibus tribuit vestra reddit industria cautiōres, cū ita viris prudētibus amicam parsimoniam in ipsa largiendi liberalitate seruetis, vt & amicus semper apud vos possit inuenire quod placeat, & vobis opportuna nō desit materia largiendi. Inde est quod vos utiliter & doctrina quæritur & prouētus, vt & ditiōtes copia faciat, & prudentia doctiores. Sic enim vestra operatur inter vtrunque discretio, vt quod virtutis est vtrinque reducens, quod vitij est separat ac repellet, ne vel sobrietatē tollat effusio, vel paritas quandoque manus cōtrahat affluentes. Si tamen in alterutro peccadū est, malum facilis quām difficilis, promptior aliquando quām tardior inueniri. Porrò inter omnia quæ donātur, equus est id quod donatorem pluribus occasionibus reddit obnoxium, quia si quid à laude minus est, iij quibus datur statim culpæ donatoris at-

ARNVLPHI EPISCOPI

tribuunt, reique imperfectionem, licet de
inopia quandoque proueniat, imperfe-
ctioni voluntatis ascribunt. Si durius am-
bulat, cōcussionis arguunt donatorem; sé-
que ruinæ destinatos prædicant, si pes vn-
quam fortuitum cespitem retusus offendat.
Si durus est, aiunt ipsum de veteri do-
mino traxisse duritiam, qui amicos se-
gnius audire consueuerit, quām equus
calcaribus obedire. Si minus elegantis for-
mæ, si minus habeat venustatis, asserunt
rem * formem nō satis dignitati donatoris
vel donatarij cōuenire. Interea si quid im-
precandum est, non equo, sed auctori po-
tiū imp̄ecantur, qui tot scandalis iniu-
riam magis irrogasse videatur, quām bene-
ficium contulisse. Palam esse nolle, eum à
se quicquam vterius implorari, qui id de-
derit quod negasse satius fuerat, quām ad-
iuncto maleficio præstisset. Certum est
etiam quosdam non tantum calumniato-
res, sed ingratos etiam inueniri, falsa rei do-
natæ vitia configentes, vt omni gratia-
rum debito videantur absolui. Quisquis
tamen accipit, ipsa statim susceptione red-
ditur obligatus, & si penes eum res donata

refederit, alleganti vitia ratio quasi cuiusdam legitimæ præscriptionis occurrit. Si quidem in rebus donatis nec quantò minoris, nec reddibitoria locum habet, sed omnem actionem exceptio spontaneæ liberalitatis elidit. Quod si aliena bene mercantibus gratia non respondet, merces tamen sua virtuti non deerit, quæ potius interioris fructus lucra considerans, satis habet simpliciter apud se de bono felicis conscientiæ testimonio gloriari. Nec enim subiecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in sua propriæ puritatis maiestate consistens, ab indignioribus præmia non inquirit: ita tamen ut neque ex eis honestè prouenientia respuat, nec pro desiderio eorum vel vsu si qua nouit potiora dimitat. Quod si quem fructus trahit exterior, is, sicut ait sapiens ille, non potest nisi similem materiæ sperare sententiam, quoniam fortuitis intentus nō nisi fortuitos experietur euentus.

De nativitate Domini.

Emper ab æterno nascēs ex tépore nasci
Sustinet humana conditione Deus:
Virgineūq; vterū virtus sacra patris obumbrat,
Qua verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles patrem matrémq; figura
Exprimit, & speciem reddit vtrique suam.
Sic eius species speciem est imitata paternam,
Vt sit eo viso visus & ipse pater.
Virgineóque sibi fabricans de corpore corpus,
Humanam ex homine contrahit effigiem.
Exhibet vna duas species persona, Deúsque
Factus homo proprium seruat vtriq; genus:
Seruat enim propriam naturę simplicitatem
Hic in carne Deus, cum Deitate caro.
Non commiscentur, nec enim confusa resoluit
Vel carnem Deitas, vel caro mixta Deum.
Regnat in assumpta Deitatis gloria carne,
Nec maiestatem carnea vela grauant.
Virgineáque fide veterem purgante reatum
Numinis aduentu est sanctificata caro.
Credit & exhibuit mundam deuotio matrem,
Magnificátque Deum, magnificata Deo.
Virginis integritas saluo fœcunda pudore
Concipit, atque virum parturit absque viro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris
Absque viro genitus, editus absque via.
Ergo alterna nouum fœdus cōmercia miscent,
Et vetus in pacem vertitur ira nouam.

Humanis siquidem blando diuina fauore
 Occurrunt stabili conciliata fide.
 Seruus adoptatur,redit exul,carcere clausus
 Exit,& eiecto porta negata patet.

Ad Henricum Wintoniensis Episcopum.

Vox per multiplices dispensat gratia
 formas,
 Hoc in te totum contulit illa simul:
 Contulit illa simul quicquid virtutis habere
 Humanum corpus,ménsque moderna potest:
 Non aliud corpus hac dignum mente , nec ista
 Mens alio fuerat corpore digna tegi,
 Sic animus membris animo se mébra coaptant,
 Ut nulla sese disparitate grauent.
 Namque in regali mens regia corpore regnat,
 Magnanimumque decét fortia mébra virum.
 Cōpositi mores habitum faciémque venustat̄,
 Et facit ad mores forma decora tuos.
 Sublimes oculos & acuti luminis ignit
 Excellens sensus ingeniique vigor.
 Informat mentem ratio, facundia linguam,
 Fœcundámq; probat riuulus vber aquam.
 Fulget Rhetorico celebris sententia cultu,
 Allicit hęc animos,auribus ille placet.
 Res precium verbis,rebus dant verba decorem,
 Nescio plus placeas proficiásve magis.

De innouatione vernali.

Vicquid hyems tāquam veteri deforme
senecta
Absque decore diu fecerat esse suo,
Ver nouat, atque nouo compubescentia flore
Imperat ad ternos cuncta redire dies.
Rupta videbantur antiqui fœdera nexus,
Conuulsusque odiis cedere sanctus amor.
Visa Elementorum communio sacra reuelli,
Et fœtus eadem velle vorare suos.
In veterēmque pari cōuersa furore tumultum,
Inuisam rebus accelerare necem.
Autumnus senior gelidè post credita spectans
Semina, crediderat fœnus obisse suum.
Nunc ea secretus mouet ignis & abdita virtus
Naturæ, sancti consilia consilijs:
Seminibūsq; adhibens causas, & semina causis,
Ad celeste suum docta figurat opus.
Sol oriens hilari perlucidus ore redemptis
Ignibus, astrictam frigore soluit humum:
Aëriāmque nouo faciem splendore serenans,
Purgatum exhilarat lenior aura diem.
Vndique sollicitat iuuenem lasciuia mundum,
Fœcundosque aperit prodiga terra sinus.
Gramine vestitur humus, arbor frōdibus, offert
Gemmam vitis, ager līlia, spina rosam.
Alternant & opus & opes Elementa vicissim,
Séque fauore pari materiāque iuuant.
Ergo yetustatem mundi natura reformans,
Auspiciis fertur in sua vota suis:

Námque voluntatē comitata potentia semper
 Num patitur frustra quid voluisse Deam.
 Assurgit latus speranti mundus & audax
 In faciem pueri cogitat ire senex.
 Nec redditum metuit veteris tristisque figuræ
 Prorsus obisse hyemem, non abiisse putans.
 Elatūisque nouæ successu prosperitatis,
 Ad votum dicitat sæcla futura suum.
 Ergo sibi quarta breuiandos destinat annos,
 Ut tribus exultent omnia temporibus.
 Ne soluatur aquis vel frigore torpeat annus
 Perpetuāque fluant tempora temperie.

De alterna temporum successione.

 Empora circuitu veteri reuoluta viciſſim,
 Effectus variant restituūntque suos,
 Mater hyems patris autumni ſemina feruat,
 Vere nouo ſtabili restituenda fide,
 Ver mundi ſterilis gelida præunte ſenecta
 Soluitur in fcetus, luxuriātque nouos.
 Productōſque fouens blando natura fauore,
 AEſtiuo in formam prouochit auspicio:
 Autumni demum prouentibus omnia cedunt,
 Cui totas reliquias congerit annus opes.
 Quod cōcepit hyems, peperit ver, nutrit æſtas,
 Hic metit atque ſuo conficit arbitrio.
 Sola refuerantur conceptibus apta futuris
 Semina, dispositas nata nouare vires.
 Sic abit ut redeat, redit ut retraneat annus,
 Præcipitem reuocans præcipitānsque rotam.

Sic rata perpetuos agit alternatio menses,
Et veteres renouat inueteratque nouos.
Hunc diuina frequens ludit sapientia ludum,
Et varianda mouens inuariata manet.

Ad Poetam mendicum.

Versus Ersus médicos & Musæ pauperis ausum,
Compositásque odi Cæciliæ preces.
Importuna graues exactio fuscitat iras,
Et geminæ stimulos improbitatis habet.
Qui petit, hoc ipso statim incipit esse molestus:
Si petat adiuncta qualibet arte, magis.
Artis enim studiis formata precatio quandam
Contrahit ex fraudis suspitione notam.
Et permixta dolis exactio lædit vtroque,
Fallit & emungit insidiosa rapax.
Inuisos igitur geminata molestia versus
Reddit, nilque sui metra fauoris habent.
Si vis ergo suum Musæ seruare fauorem,
Gratuitis aures mulceat alloquiis.
Importunus enim est quisquis sibi postulat auræ
Laudibus impleri, munerib[us]que manum.

Ad Scenam de anu non reformanda.

Verba Cæua senescentis dominæ marcere de-
corem,
Et teneros queritur consenuisse dies.
Ergo peregrinas explorat sedulus artes,
Et species multo comparat ære nouas,

Nilque redempturo faciem medicamine vexas,
 Deplorat medicas nil potuisse manus.
 Non hac Scæua potest naturam fallere cura,
 Ars deformatam nulla reformat anum.
 Si vis in lucem faciem reuocare sepultam,
 Et speciem dominæ reddere, tolle dies:
 Tolle dies, annosa creant dispendia rugas,
 Multiplicatque cutem multiplicata dies.

*Ad iuuenem & puellam affectiosius
 se inuicem intuentes.*

 Ccurrūt blādo sibi lumina vestra fauore,
 Et voto arrident intima corda pari:
 Alterno facies sibi dant responsa rubore:
 Et tener affe&atum prodit vtrinque pudor.
 Mutua discurrens vltro citróque voluntas
 Lasciuum mentes fœdus inire facit.
 Alternis radiis oculorum flamma refulget,
 Perplexūsque oculos fœderat intuitus.
 Ipsæ animæ proprias quasi permutasse videtur
 Sedes, inque nouis degere corporibus.
 Complexus tacitos animorum gratia necit,
 Corporeisque parat nexibus auspicium:
 Procedet felix duplicato copula nexu,
 Concurrēntque suis corpora spiritibus.
 Vtilis optatos dabit expectatio fructus,
 Et lætos parient anxia vota dies.

Ad lascivos sodales.

Mens mea virtutum studiis à tempore pri-
mo
Instituit infames docta cauere vias,
Sed quo vita mihi securior esset aptid vos,
Cautus honestatis dissimulator eram.
Optabam credi similis non esse fauorem;
Non mihi vera dabat, sed simulata Venus.
Seruiuit vobis nutu solertia solo,
Præstringens equidem sed meliore dolo.
Mens studiofa sua se clauferat integritate,
Ne virtus faceret disparitásque grauem.
Ast vbi non potuit perfectio dissimulari,
Séque suis virtus prodidit indiciis:
Inuidiæ stimulis angi stillare veneno
In populos cœpit lingua maligna suo.
Confiteor placuisse, pudet: quoniam placuisse
Turpibus, aut propter turpia, turpe bono.
Debueram clarè rupisse silentia, non me
Defunctis tacito consepelisse metu.
Seruit enim sceleri virtus taciturna, reosque
Absoluit, si non indicat esse reos.
Pars vitij est vitium quo quis palpare fauore,
Nam palpando foues atque fouendo facis.
Præstat opem tacitam virēsque ministrat agēdi
Qui tacet, & poterat obuius esse malo.
Nam virtus vitij nec amat, nec sustinet umbrā,
Nec luci tenebras contrahit ipsa suæ.

*super sepulchrum Regis Henrici, in quo cerebrum
& cor eius sepulta sunt.*

H Enrici cuius celebrat vox publica nomē,
H Hoc pro parte iacent membra sepulta
loco.

Quem neque viuētem capiebat terra, nec vñus
Defunctum potuit consepelire locus.

In tria partitus sua iura quibusque resignat
Partibus, illustrans sic tria regna tribus.

Spirituī cœlum, cordi cerebrōque dicata est
Neustria, quod dederat Anglia cōpus habet.
Hinc patres animūmque trahēs, sed fortē apud
illos

Editus, hīc gladium, sceptrā gerebat ibi:
Quem deceđētem cūm nox extrema Nouēbris
Solūisset, secuit prima Decembris eum.

Quomodo pauperi vel diuitiis dandum.

R Es simplex triplici vitio damnata datoris
Expressit mentem rupta pusilla vetus.

Si quis fortē aliquid largiri curat egeno,
Ad paupertatis respiciatur onus.

Non Elephantus ei dādus, non Parthica tigris,
Non quicquam quod eum cogat egere magis:

Non volo quod faciat de paupere pauperiorē,
Id volo quod potius vtilitate probem.

Quid mihi si munus honor illustrauit inanis,
Cūm meus extincto frigeat igne focus?

Pane cibandus inhops, nō illudēdus honore est;
Frigida de vacuo gratia ventre venit.
Contrā diuitibus munus quod quilibet offert,
Formet honore magis, vtilitate minus.
Illustret non subueniat, ne quando probetur
Munus quòd tantum, sed quia tale fuit.
Cūmque datis insit animi donantis imago,
Nec dator affectum dissimulare queat.
Id des quod semper videare dedisse libenter,
Ne parcā prodant dona recisa manū.

Epitaphium Matildis Imperatricis, Regis Henrici filiae, & alterius Regis Henrici matris.

REgia progenies, stirps Regia, Cesaris vxor;
Hic est magna breui clausa Matilde loco.
Virtutum titulis humani culmen honoris
Excessit mulier, nil mulieris habens:
Septembbris decima regno post regna recepto,
Creditur æternum continuasse diem.

De eadē.

REgis mater erat, & Regibus orta Matildis,
Extuleratque thoro nobiliore genus:
Sed magis egregia virtutum laude coruscans,
Fortunam generis vicerat atque thori.
Septembbris decimo sub prima transiit hora,
De nostra ad verum nocte reuecta diem.

sub

sub cruce ex persona Crucifixi.

SIc cruce tollo crucem, moriens de morte
triumpho,
Viuificans hominem mortificatus homo.
Gratia mandato præscribit, forma figuræ,
Res signo, morti vita, corona iugo.

Ad nepotem suum, cum esset adolescentis.

Secundum Lim me celebrē Normania tota Poëtam
Duxit, vixque dabat Gallia tota parem:
Altera de primis me credidit, altera primum
Déque suis dixit illa, sed ista suum.
Magnus vbique tamē vario celebrabar honore,
Illustri peregrè, præcipuo que domi.
Nūc noua fortè nouum vatem te protulit ætas
Ad formam rudibus, inuidiāmque bonis.
De puerōque senem formās doctrina Poëtam,
In didit ætati non sua verba tuæ.
Verba senē sapiunt, ipsūmque professa Maronē
Imberbi floret pagina canicie.
Ipsa tuos mirata dies & verba dierum
Palluit ad versus & mea Musa tuos.
Cūmq; meas solito sumptissim more tabellas,
Priuauit linguam voce, manūmque stilo.
Ergo tibi Musas sanctūmque Helicona resigno,
Et dulces sacri desero fontis aquas:
Tu cole quas nosti, quarum retinere fauorem
Non nisi sollerti sedulitate potes.

O

*Epitaphium Algari Constantiensis
Episcopi.*

Ræfuslis Algari cineri natura sepulto
R. Non potuit meritum consepelire viri:
Nam terram titulis, cælum virtutibus implens,
Dum nobis moritur, vt sibi viuat, obit.
Ipsum igitur quia terra virū cæliq; loquuntur,
Consignasse breui sufficit elogio.
Hunc & Martinum meritorum conscientia terris
Abstulit, & cælo reddidit vna dies.

*Epitaphium Egonis Rothomag.
Archiepiscopi.*

Hic noster carnis Hugo resignat onus,
Consignata breui clauduntur membra sepulchro,
Non tamen acta viri claudit vterque polus.
Quicquid dispensat & compartitur in omnes,
Gratia contulerat prestatiteraque viro.
Fœcundos igitur virtutum copia fructus
Fecit, & ultra hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vite
Sustulit emeritum flebilis hora senem.
Par Martine tibi consorsque futurus eandem
Sortitus tecum est commoriendo diem.

*Ad Ricardum Pictauensem
Archidiaconum.*

Ibrum de Ecclesiasticis officiis eo libentiū vobis censui transmittendum, quia vellem vos exemptum sacerdotalibus, diuinis officiis toto studio mancipari. Quod si vos ad illa quandoque necessitas, aut prouentus, aut superior gratia pertrahit, ordinis vestri semper habete memoriam; nec eis vos immisceatis, quorum executio professioni vestræ non congruit, sed eis dimittatis per quos ea specialius cōuenit expidiri. Porro quædā sunt quibus vestram ^{debet et minima in-} vos oportet omnino negare præsentiam, ^{dicij abſtineat.} ubi scilicet corporalis poena vel iudicium sanguinis fuerit irrogandum, quia forenſium legum ſeueritas in plerisque mansuetudini miserationis Ecclesiastice non cōcordat.

Ad legatos Albertum & Theodinum.

Ator præsentium Roal.literas mihi vestræ ſublimitatis attulit, quas ego inspectas diligentius de falsitate ſuceptas habui, quia in parte ſolœcif-

ARNVLPHI EPISCOPI
mum habere, in parte contra consuetudinem
vestram aliquid præcipere videban-
tur. Ipsum itaque cum eisdē literis ad vos
censi remittēdum, ne circa executionem
mandati vestri negligentiae vel temeritatis
argui possim, sed quid fieri velitis planiūs
me & pleniūs instruatis. Utile autem esset
huic ad alium iudicem mitti, apud quem
de proximo posset commodius experiri,
quia ego propter quasdā necessarias cau-
fas in locis remotioribus his diebus lon-
giorem moram habere disposui, atque ei
difficile & nimis sumptuosum esset ibi ne-
cessariæ instructionis copiam exhibere.

*Ad Nicolaum Monachum de
monastario Arramato.*

Iteras discretionis vestræ non si-
ne magna admiratione perlegi,
prudentiāmque Principis & re-
ligionē vestram impudici ado-
lescentis fallacia dolui circumuentam.
De eo autē quod scripsistis, ipsum vos pro
intercessione mea in vltiorem gratiam
recepisse, mēque id à vobis extorisse lite-
ris frequentibus, sciatis me nunquam pro

eo vobis aut alij literas destinasse, nec vllas
preces cuiquam pro eo vlo vnquam tem-
pore porrexisse. Siquidem mihi nulla co-
gnatione coniunctus est, nullis acceptus
meritis, nulla familiaritate deuinctus, im-
mò rarissimè nostro se conspectui præsu-
mit offerre, quoniam celebri respersus in-
famia, etiam in publicum prodire nocente
conscientia reformidat. Ego autem literas
Comitis ab eo iam secundas accepi, quas
tenerima dictasse videbatur affectio, quia
nihil literarum continentiae defuit, quod
vel amor imperare voluerit, vel curiosa di-
ligenzia potuerit inuenire. Porrò literæ
illæ stilum vestræ peritiæ redolebant, ap-
césque his quos nouiter à vestra sanctitate
recepí, identitatem manus mihi certis in-
diciis penitus expresserunt. Super eo au-
tem quod sigillum Comitis ipsum falsasse
dicitis, mutuāmque falsitatē literarum no-
mine Comitis pecuniam accepisse, si me-
ritis eius non ducitis indulgendum, ordi-
ne iudicatio oportebit arguere diffiden-
tem, & fortassis ad peragendum reum pro-
bationum vobis copia deerit: & si ad te-
stium depositionem causa peruenierit, tri-
stem fortassis in ipsa examinatione sortien-

ARNVLPHI EPISCOPI I

tur defectum. Sed & si tenuerit actio, ipsam proculdubio inopia debitoris elidet, nisi vestra bonitas in hoc casu solita velit ei munificentia subuenire, meritisque eius in oportunitate sua compassio vestra debitas gratiarum referat actiones. Inhumatum etiam forte reputaretur a pluribus, si adolescentem ingenuum liberalitas vestra traheret in discriminem, si vni saltem delicto post tot collata beneficia personae id aetatis vestra beniuolentia non ignoscat. Si tamen iniuriam hanc acriore instantia persequi destinatis, ego seruum alienum iudicare non debeo, domino suo stet aut cedat: nec ego eum carceris ergastulo claudere, vel ferreis vellem arctare compediibus, neque bonitas vestra velle debet protam modica summa ipsum durioribus vinculis alligari. Vester est, quia vos eum vestrum beneficiis & doctrina fecistis, dominique Comitis Canonicus est, ut scripsistis, ideoque apud eum conueniens est, & forum illud cui obnoxius est tenetur agnoscere, iudicisque sui sententiis obedire. Sed & accipitur quem quarto mutatum, sicut scribitis, vestra per eum mihi magnificantia misit, tanquam alas

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 108
habens, forsitan auolauit, aut ipsum adhuc
ad longinquiora tempora reseruandum
censuit, quo ipsum magis faciat proue-
ctior mutatio gratiosum.

*Ad Bartholomæum Exoniensem
Episcopum.*

Lator præsentium Ior. vester apud
nos pluribus adolescentiæ suæ
diebus commoratus est, ut in
Ecclesia nostra diuinis informa-
retur officiis, & inter scholares liberalibus
posset instrui disciplinis. Complacuit in
eo fratribus nostris & nobis verecunda fo-
lertia, & quod primæ rudimenta virtutis
spem bonam de reliquo promittebant, ad-
iuncto quod suaui quadam & iocunda vo-
ce inter psallentes in Ecclesia, ad deuotio-
nem posset indurata etiam viscera com-
mouere. Reuersus ad terram nativitatis
suæ, acceptum se vobis extitisse gauisus
est, adeò ut vestra cum beneficiis gratia
subleuaret, & ad subdiaconatus ordinem
promoueret. Postmodum ad cismarinas
partes trahente eum nescio qua oppor-

O iiiij

ARNVLPHI EPISCOPI

tunitate regressus, reliquos ordines sine ve-
stra licentia & concessione percepit. Ra-
tus super eo quod non de præsumptione
sed simplicitate commissum est, benigni-
tatem vestram non adeo commouēdam.
Vestra verò scueritas ipsum à minus cautè
perceptorum ordinū administratione sus-
pendit, adiecta, sicut afferit, terribili com-
minatione: quod à vobis scilicet restituen-
dus non sit, nisi hoc ei à maiori fuerit au-
toritate concessum: ad Cardinales igitur
per labores multos & pericula magna per-
uenit, sed ipsi nihil ei indulgere voluerunt,
nisi prius de veritate facti vestrarum doce-
rentur testimonio literarum. Dicūt etiam
se nihil scripturos in Angliam, nisi prius
cum domino Rege fuerint collocuti, quod
qua consideratione decreuerint, nos nesci-
mus. Supplicamus nos interim & anti-
quiore præuentum gratia, gratia perse-
uerante prosequimur, vt ei apud vos no-
stra proposit oratio, quatenus aut ratio susti-
nere debuerit, aut misericordia subuenire.

Vper his pro quibus in sentē-
tiam cōmisisti, à memoria tua
non credimus excidisse quo-
modo mandato nostro stare
promiseris, & præceptionibus
obedire. Nos verò quibusdā ex causis ad-
huc formam distulimus assignare manda-
ti, & modum satisfactionis imponere, quia
in hac re ea temperantia uti volumus, vt
quicquid fecerimus, ex sincera videatur
procedere charitate, & tu ad debitam hu-
militatem & obedientiam nostro prouo-
ceris exemplo, dum tamen Ecclesiasticæ
institutionis disciplina seruetur, quantum
tuæ & nostræ saluti crediderimus expedi-
re. Ne itaque res diutiū hæreat in suspen-
so, & quadragesimale tempus quod extat
specialius est pœnitentiæ dedicatum fra-
ternitati tuæ, ea qua teneris astrictus necel-
sitate, mandamus ut proxima iiii. feria nō
præsentis, sed sequentis hebdomadæ apud
Lexoueum nostro te cōspexitui repræsen-
tes, vt adhibito religiosarum & prudētium
personarum consilio, quod tibi mandandū
fuerit auctore Domino disponatur. Siqui-

ARNVLPHI EPISCOPI

dem oportet nos conscientias nostras ad festa preparare Paschalia, ut Dominicę resurrectionis esse participes per condignos fructus pœnitentiae debeamus.

Ad Abbatem de Curia-Dei.



Ro filio vestro F. paternitati vestræ gratias tota deuotione referimus, quod ita circa eum copiosæ charitatis visceribus abundatis, vt ipsum tota diligentia religio vestra dirigat ad salutem, & in opportunitatibus suis paternum indulgentia largiatur affectum. Elegit apud vos abiectus esse in domo dei sui, magis quam apud suos habitare in tabernaculis peccatorum: sed affectati ordinis austерitatē benignitatis vestræ gratia releuat, & humilitatem abiectionis dignatio recompensat. Certum est cuius & in hoc & in aliis quæratis gratiam promereri, sed licet salua sint vobis præmia vestra, nostræ tamen ad gratiarum actiones affectio deuotionis accedit. Felicem ergo me, inquam, si unquam inueniar accepisse non ingratè, si datū mihi fuerit aliquid quandoque rependere vestrorum excellentiæ meritorum.

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 110
Ad Abbatem Cisterc.

Duos sacerdotes Episcopatus nostri Arn. videlicet & Ric. sæculo renunciare disponentes, admonitione frequenti & studio fratris nostri Will. nunc Abbatis de Pinu, ad venerabilem & religiosum virum Ric. Abbatem de Valascia refutatis prius in manu nostra quas possederant Ecclesiis, se & sua deuotione promptissima contulerunt. Quorum nos deuotionem fauore debito prosequentes, intuitu Abbatis de Valascia, qui ob sincerę religionis & industrię suę meritum plurima nobis charitate deuinctus est, rationum obligationes, & cætera quibus nobis tenebatur obnoxij, quoniam Officiales nostri fuerant, sine omni difficultate remisimus, & eos in prædicto monasterio Deo perpetuò seruituros cum facultatibus suis in manum Abbatis liberos & absolutos consignauimus. Post modum verò cum deuoti monasterij probationem ingressuri sperarentur, Abbas de Pinu ad aliud voluntate deuocata, opus cuius auctor prius vehementissimus extiterat, vehementiore studio dissuasit, obii-

A R N V L P H I E P I S C O P I
ciens quod vnuis eorum antequam etiam
pubertatis annos attigisset, sua persuasione
in monasterio de Chaelix publicum reli-
gionis votum solenniter nuncupauerat,
promissione quoq; adiecta quòd eam non
mutaret, nec reuocaret in posterum volú-
tatem. Qua occasione prudentibus & re-
ligiosis viris plurimum admirantibus, de-
uotum pariter & indeuotum abduxit cum
ea proculdubio ratione, qua alterum
extrahere nitebatur alter in deuotionis
suæ monasterio perpetuò permittendus
fuerat commorari. Porrò Abbas de Vala-
scia, vtpote vir longanimis & multæ man-
suetudinis, suas & monasterij sui vsque ad
secundum vniuersitatis vestræ cōuentum
prosequi distulit iniurias, sperans profecto
siquid perperam aëtum est, sine subterfu-
gio reformandum, vbi nec excusatio veri-
tatem impedit, nec cupiditas æquitatem.
Ego verò, quod ad Ecclesiam meam per-
tinet, nulla dissimulare valeo ratione, quo-
niam vnuis eorum de quorum reuocatio-
ne tractatur, Arn. videlicet, librum quondam
quem Ecclesiæ suæ parrochianorum col-
latio deuota contulerat, consilio & mini-
sterio Abbatis de Pinu pignori pro iiii, li-

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. III

bris Andegauen. obligauit, quamuis ego
sub anathemate prohibuissim ne id ipsum
faceret, vel quicquam de rebus Ecclesiæ
sine conscientia mea præsumeret asporta-
re. Quoniam ergo saepius commonitus &
requisitus, librum Ecclesiæ suæ non resti-
tuit, eum excommunicatum, & ab omni
sacerdotalis officij ministerio suspensum,
donec de sacrilegio satisfecerit, houeritis
emigrasse.

Ad Henricum Fiscanensem Abbatem.

G Redimus prudētiām vestrām
fideli memoria retinere cau-
sam quæ inter vos & latorem
præsentium pauperem verte-
batur, Apostolica nobis olim auctoritate
commissam. Nos verò in hoc, sicut in aliis,
dilectæ nobis gratiæ vestræ obsequiū pro-
niusexhibentes, ipsum de magna summa
vobiscum pro modico transigere fecimus.
Et ut modicum illud vtilius in futuro per-
ciperet, ad vestrām per omnia descendere
voluntatem. Ipse verò iamdudum misera-
bilibus nos lamentis infestat, asserēs quod
placitum trāsactionis vestrā ei magnificē-

A R N V L P H I E P I S C O P I
tia subtrahat , nec sanctitatem vestram in
aliquo moueat vel miseria pauperis , vel ve-
ritas pactionis . Quod si quid aliquando
forte solutum est , post multas fatigations
& tempora semper , vel specie vilius fuit ,
vel deterius qualitate : super quo rogamus
vos , & obnixis precibus obsecramus , qua-
tenus in hoc honori suo , & iustitiae paupe-
ris , & molestiae nostrae gratia vestra prouide-
at , eique quod sub tanta venerabilium
personarum celebritate promissum est , no
solùm fideliter , sed etiam liberaliter tri-
bui faciatis , ne forte homo vagus & perti-
nax ad subsidium maiestatis Apostolicæ
recurrere compellatur , communem de no
bis & vobis querimoniam portans , scili-
cet quod mandatum eius à nobis minus fi-
deliter adimpletū sit , & à vobis fides trans-
actionis minus veraciter obseruata .

Ad dominum Papam Alexandrum.

CAUSAM quæ inter Willelmum
sacerdotem & Matthæum cle-
ricū vertebatur , super Ecclesia
de Godaruilla , maiestas vestra
paruitati nostræ delegauit sine appellatio-

nis obstaculo canonicè decidēdam. Vtraque itaque parte in nostra præsentia constituta, proposuit will. se prædictam Ecclesiam legitimè possedisse, & post modum se per violentiam absque omni iudicio spoliatum, & ideo restitutionem possessionis cum magna à nobis instantia postulabat. Ad probationem verò possessionis quam petebat quatuor deposuit sacerdotes, quorum unus inutilis, tres reliqui satis concordes in examinatione reperti sunt. At Matthæum ipsum aliquando possedisse constantissimè pernegauit, ipsumque coram delegatis à sublimitate vestra iudicibus, domino scilicet Rothomagensi, qui tunc Ebroicensi Ecclesiæ præerat, & domino Egidio nunc Ebroicensi qui tūc in Rothomagēsi Ecclesia Archidiaconi fungebatur officio, super eadem Ecclesia quæstionem mouisse dixit & nouissimè eidem quæstiōni coram eis abrenunciasse publice, & eandem Ecclesiam abiurasse, & xl. solidos pro recompensatione expensarum quas fecerat accepisse. Super quo sacerdotem & acolitum & laicum quendam proposuit ad probandum, qui & ipsi in examinatione concordes inuenti sunt, idque prædictis iudi-

A R N V L P H I E P I S C O P I
cibus & toti Ecclesiæ Rothomagensi no-
tissimū, quia hoc coram tota fere vniuersi-
tate fuerat celebratum. Quia ergo præiu-
dicare videbatur abiurationis exceptio,
neque nobis satis certam fidem eorum qui
producti erant testificatio faciebat, duxi-
mus differendū, donec per iudices, quibus
causa delegata fuisse dicebatur, & venera-
biles personas quæ asserebantur nihilomi-
nus affuisse veritatis nobis posset innote-
scere plenitudo. Porrò cùm ipsi mecum
ad domini Archiepiscopi præsentiam con-
uenissent, & ego ab eo veritatis testimoniu-
diligerenter exigere, willelmus non expe-
ctato testimonio eius, ad primam Domi-
nicam Aduētus Domini vestram audien-
tiā appellauit. Ego verò quia nolens age-
re cogi non poterat, & ad preces eius ip-
siusque fauore videbatur sublatum appel-
lationis obstaculum, ad læsionem eius re-
torquere non debui, sed alio sicut fuerat in
possessione demisso, literas utrique requi-
fitas tradidi, per quas eorum quæ apud nos
acta sunt veritas vestræ possit innotescere
maiestati.

Ad

LEXOVIENS. EPISTOLÆ. 113
Ad dominum Willelmum de Papia
Cardinalem.



Vantam mihi gratiā in oculis vestris ab antiquo bonitas diuina cōtulerit, præstita frequentius beneficia comprobarunt. Et ego quidem toto animo gratus extiti, sed maiestatem dignationis vestre nō potuit debiti operis exhibito compensare. Felicem tamen me, inquam, si vñquam inueniar accepisse non ingratè quod vos tanta semper hilaritate gratuitò contulisti, si mea signo quolibet se redemptam deuotio recognoscat. Interim ad eandem experientiam in omni semper opportunitate conuertor, certus quòd apud excellentiam veitram veritas amicitiæ nec defectum pati, nec aliquam potest incurrere senectutem. Inde est quod magister G quem ad dominum Papam pro quibusdam negotiis mitto, precor attēnūs ut habeat vestra benevolentia commēdatum, ut tam cōsilio vestro doctus quam frētus auxilio, optatum in negotiis quæ portat mereatur effectum.

P

ARNVLPHI EPISCOPI
Adlegatos Albertum & Theodinum.



Andatum vestræ sublimitatis accepi, ut Ric. Urselli prope diem Dominicæ Circumcisionis vestro submouerem conspectui præsentari, responsurum Rob. cuidam super Ecclesia de Cormorlem, quam ille sibi dicit legitimè pertinere. Fece itaque quod mādastis, quia propositum meum est cum omni humilitate & diligentia vestrīs per omnia præceptionibus obedire. Is verò qui vocatur, de nimia temporis assignati breuitate conqueritur, quia tam modico tempore non poterit necessariam instructionem cum multo labore & plurimo etiam dispendio comparare. Si quidem homo grauis est, & oportet eum de remotis & dispersis locis subsidia petere, & postmodum ad vos in aliam transire prouinciam, cùm ei ad omnimodam præparationem nō fuerit spacium xv. dierum indultum. Quod sanè ab aduersario suo callidè patet esse quæsitum, quia nullam concepit de iustitia & veritate fiduciam, sed propter impotentiam personæ sperat aliquid vexationibus & transfactione qua-

libet extorquere. Potrò Ecclesia illa in Episcopatu Baiocensi cōstituta est, neque causa ullo tempore ad Episcopi sui peruenit examen: sed ille quæsitus ab Apostolica sede literis, quia rei veritas in Ecclesia Baiocensi publicè nota erat, causam ad alienum scilicet & ad Abrincensem transduxit Episcopum, ut ibi liceret ei quicquid vellet audaciùs affirmare. Verùm dominus Abrincensis, vir sanè religiosus & prudens, veritate diligentius inquisita, cognovit Ric. plus xxx. annis continuè posse disce, & per vicarias semper deseruisse personas, suóque iure beneficia percepisse. Constitit etiam Robertum esse filium sacerdotis, quem certum erat eiusdem Ecclesiæ vicarium extitisse, atque ipsum inde sibi ad petitionem possessionis fraudis preparasse materiam, quod ibi quæ patrem suum pro executione parochialis officij cōtingebant, aliquando perceperat, & tam suis quām matris & reliquæ paternæ familiæ necessitatibus impendebat. Repulsus igitur, & Ricardo litigij quiete concessa, ad audientiam Romani Pontificis ad Kalend. Februa. appellauit. Misit iste, & responsum Apostolicæ maiestatis expe-

ARNVLPHI EPISCOPI

Etat, sperans quod de mandato cius à reli-
gio Episcopo tam sanctè factū est, ipsius
nimirum auctoritate firmandum. Neque
*Si y sicut v dolo puniti
benificiis non fuderat*
enim expedit prouinciæ nostræ , in qua
quotidie tam impudēter impudicitia con-
ualescit , filios sacerdotum paternis altati-
bus adhiberi , ne incestuosí concubinatus
crimen ab ipso vel à vobis profusa beni-
gnitate videatur indultum , nec spurcitiæ
toboles sanctuarium Domini exemplo pa-
ternæ prauitatis incestet. Oculi itaque ve-
stri videant æquitatem , si ad recognitio-
nem iam cognitæ veritatis, Episcopus ad
quem ab initio causa suo ordine pertine-
bat, de ea legatione quam de vestra volun-
tate suscepit, debeat expectari; si appella-
tioni sedis Apostolicæ deferendum est, si
religioso Episcopo qui cognouit ex dele-
gatione credendum , si denique spatium
maius indulgēdum est, ut perspectis etiam
omnibus filio nostro in iure suo nostra vi-
deatur intercessio profuisse.

Felicem me & omni donatum beatitudine iudicarem, si vel semel adhuc me ad videndam faciem vestram bonitas diuina perduceret, ut desiderantibus oculis vultus vestri serenitas illuceret, & ariditatem meam copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret vbertas. Sed me cū prouectior ætas, tum fortuitæ debilitatis incommodum, tum ipsa reddit locorum distantia desperatum: quia ad tot peragradas regiones forte nec tēpus spatium, nec potentiam debilitas indulgeret. Facio interim quod possum, & remoto corpore semper vobis instantia solicitæ deuotionis assistit, & ad status vestri prosperitatem & pacem sanctæ Romanæ Ecclesiæ perquirendam in omni loco quotiēs refulget occasio promptus & fidelis occurro. Siquidē in omnibus vestra me semper & p̄decessorum vestrorum gratia fecit & beneficentia debitorē, nihilque mihi molestius est, quām quod omne quod possum ad debitatas gratiarum nō sufficit actiones. Verūm quāto merita mea minora sunt, tantò ani-

ARNVLPHI EPISCOPI

mus ad obsequendum propensior est, tanto obnoxior ad agendum, ut scilicet impotentiae defectum deuotio suppleat, quae vbi cunque sincera est rectiore iudicio quolibet opere debet acceptior estimari. Viderunt hoc legati vestri quoscunque ab initio ad partes nostras vestra destinavit auctoritas, fidemque & diligetiam meam evidentibus rerum argumentis experti sunt, sicut etiam literis eorum qui nouissime venerunt, vestrae potuit innotescere maiestati. Siquidem cum ea propter quae venerant ad miserabilem scissuram negotia declinassent, & omnes qui intercesserat desperata concordia discessissent, ego tandem ferore charitatis ultra solus accessi, omnibusque cum legatis vestris utili examinatione & prouida pertractatis, Principem nostrum iam reverentem in Angliam, de ipso itinere reuocavi, ipsumque ad bonum pacis per ministerium meum diuina benignitas inclinavit. In quo visa est omnibus insperatum diuina pietas operata miraculum, quod tantus Princeps a tanto indignationis & iracundiarum motu ad opera pacis humilitatisque conuersus est, sequi legatis vestris pro reverentia Dei & gratia vestra tracta,

bilem exhibuit, & præstítit obsequentem, sicut de literis ipsius & eorum vestra experientia recognouit. Profectò si in eo quod ibi factum est honorem Ecclesiæ Dei vestrūmque vobis placuerit aestimare profetum; magnum est, immò maximū quod fecistis, si fuerit qui executioni mandare, & effectui mancipare procuret. Quod sanè iam non erit difficile reputandum, quia operante pro Ecclesia sua Spiritu sancto tantæ tunc Principem sinceritas deuotio-
nis astrinxit, ut nulla eum penitentia, nulla possit impudētia reuocare. Nec ego hęc ad iactantiam, vel ut mea videar merita prædicare recenseo, sed desiderabile mihi est, ut studium meum tot approbatum īindi-
ciis, à memoria vestra non excidat, sed pri-
stina mihi semper apud maiestatem vestram
gratia perseueret, ut in nouissimis diebus
meis, ad quos me senectutis necessitas o-
diosa perducit, fortius mihi semper in op-
portunitatibus manus vestræ protectionis
assistat, nec quietem meam vexationibus
concuti, nec Ecclesiam meam malignita-
te qualibet sua patiamini iustitia defrau-
dari, ut ego eam in eo statu conseruare va-
leam, ad quę ipsam per merita vestra Deo

ARNVLPHI EPISCOPI

cooperante perduxit, ut moriens de paupere diuitem, de obscura possim relinquerre gloriosam. Ad quod sanè complendum quia per me non valeo temporis obstantis malitia peruenire, ad solitum vestræ benignitatis auxilium, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ presidium singulare in omni semper opportunitate conuertor, quia vos expertus sum in omni semper petitione propitiū, & in expugnādis difficultatibus meis penitus efficacem. Latorem ergo præsentium, Magistrū Gislebertum, quem mihi cùm honestas, tum scientia, tum etiā beati Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi vterior qua eum complectebatur gratia cōmendauit, ad pedes vestræ dirigo sanctitatis, ut per eū vobis veritas & iustitia negotiorum nostrorum pleniū innotescat, & epistolæ breuitatem commodiū sermo vnius instauret. Rogo itaque ut ipsum bonitas vestræ ea qua me & meos semper cōsueuistis benignitate suscipiat, & diuturnitati negotiorum nostrorum finem curetis imponere, super quibus à vobis primos, secundos, & tertios iudices iam accepi: sed tam spes mea, quam eorum cognitio multis artibus est elusa, ne possem usque ad au-

dientiam etiam peruenire. His autem quæ
ex parte mea vobis iste dixerit, fidem in-
dubitata habere poteritis, quia sacrilegio
maiis est attentare etiam vestram in ali-
quo fallere sanctitatem.

Ad eundem.

Fest quiddam quod tam meam
quam alias vehementer angit
Ecclesiæ, quorumdam scilicet
rapax & intemperans audacia
monachorum, qui quo liberiùs effluant,
sæcularis potentiae præsidia redimentes,
primò Episcopis omnem obediētiam sub-
trahunt, & parochiales Ecclesiæ cum al-
tariis & decimationibus, cæterisque bene-
ficiis de manu laica recipere pactis quibus-
libet sacrilega temeritate præsumunt. In
his ergo ab eis nec Canonicus ordo, nec
Episcopalis assensus exigitur; sed deuo-
catis ad proprietatem omnibus, mercena-
rios in tanta paupertate ibi constituunt sa-
cerdotes, ut ad exhibitionem suam & ad
onera Ecclesiæ portanda non habeat quod
opilio sufficeret aut cursori. Generale est
hoc, sed in Episcopatu meo vehementius

ARNVLPHI EPISCOPI

hæc est grassata malignitas, nec iam nobis cuiuslibet rationis obtentu, sed fallaciis ac muneribus nobis præsidioque violentiae sæcularis obsistunt. Ad quod secundum ordinem institutionis Ecclesiasticæ reformatum, cùm ego aduersus Abbatem quedam & monachos monasterij cuiusdam in Episcopatu nostro, scilicet sancti Ebrulfi, à sublimitate vestra primos, secundos, & tertios iudices impetraverim, Abbate semper multis artibus obstante, nihil est adhuc effectui mancipatum, cùm sacerdotes nostri in executione causæ apud iudices assignatos multis attenuati sumptib⁹, multis laboribus sint affecti. Habemus autem & alias causas aduersuse undem Abbatem de multiplici & cōtumaci inobedientia, cū tamen ad exhibendā nobis obediētiam & reuerētiam vinculo iuratae professionis tenetur astrictus. De alio quoque periurio, quod post præstitū corporaliter iuramentū de exhibēda ad mādatū nostrū satisfactiōne, coram multis venerabilibus personis manifestē cōtraxit, in eo scilicet quod post sententiam suspensionis & anathematis, per quinquennium & eo amplius Missas & cætera præsumpsit diuina officia cele-

brare, donec cognita coram legatis vestris
veritate quam dicimus de necessitate ma-
gis, quām de pœnitentia nobis se præsttit
absoluendum, iurato nimirum quod ad
mādatum nostrum super tribus expressim
staret excessibus, & modum impositæ sibi
satisfactionis impleret. De priuilegio quo-
que à vobis per subreptionē elicito idem
Abbas vobis & Ecclesiæ nostræ tenetur
obnoxius, super quo iam tertio ipsum ad
vos cum priuilegio mitti inuenta nimirum
falsitate iussistis. De heremo etiam quadā
quæ à nobis & fundatore quibusdam re-
gularibus & religiosis fratribus collata est,
à prædicto Abbe & monachis post appella-
tionem ad vos factam nouiter occupata,
& alijs quibusdam quam reverentiæ ve-
stræ in omni veritate fides & sedulitas nū-
cij nostri plenius explicabit.

*Ad Dominum Henricum Re-
mensem Archiepiscopum.*

Philippum vestrum de Chau-
mont cùm apud nos in Rotho-
magensi moraretur Ecclesia, ho-
nesta conuersatio notum nobis
reddidit & acceptum. Accedebat ad gra-

ARNVLPHI EPISCOPI

tiam quòd in actibus eius Regij sanguinis excellentia refulgebat , dignamque tanta nobilitate liberalis prudētia formabat industriam, ut alios sicut genere, sic moribus excedere videretur. Traxit eum & desideriis nostris abstulit magnitudo vestra, ut propinquus genere fieret conuersatione propinquior , vestrisque cuius totus est mancipatus obsequiis , apud magnificentiam vestram doctrinæ prouentum faceret & fortunæ. Exultauit igitur, & se in multis beneficētiā vestram sensisse gauisus est, tantò sane alacrior, quanto de primiciis gratiæ vestræ maior poterat de futuro fiducia prouenire. Interim tamen, sicut ipse lachrymosè conqueritur , mota est aduersus innocentiam eius vestra serenitas , & à concepta spe elongatus est aliquantulum amicus & proximus , nisi quia desperationem excludit sinceritas conscientiæ, & vestræ si quid admissum est humiliis & deuota patientia disciplinæ. Precelegit enim apud misericordiam vestrā deprecationis partibus vti magis quam contentiosis excusationem litigiis instaurare , quia sicut magnanimitas vestra superbiae cedere nescit, sic humilitati non sustinet obuiare. Sancte

dum nobiscū esset, intellexit s̄epius quōd plurimam nobis in oculis vestris gratiam bonitas diuina contulerat, quæ tantō prædicabilior est, quantō de gratuita liberalis animi vestri bonitate procedit. Preces itaque nostras de longinquo quærendas censuit, vt eas possit nobis velut aliquod acceptabile munus offerre, quatenus nostra culpam ipsius, si qua est intercessio, redimat, & ad indulgentiam motum seueritatis inclinet. Siquidem gloriosum erit vobis tantam apud maiestatem vestram gratiam gratiæ plenitudinem inuenisse, vt etiam à nobis in alios copioꝝ dilectionis vestræ redundet vbertas.

Ad Henricum Baiocensem Episcopum.

M22 Emini me pro latore presentium olim vestræ excellētiæ supplicasse, quia mihi pro eo quorumdam quibus ego deesse non poteram instantia suppliabat. Exaudistis ex parte, quia ab irroganda seueriore sententia temperastis ad tempus, nondum tamen ei optatum benefi-

ARNVL. EPISC. EPIS.T.

cium perfectæ liberationis arrisit. Instant
igitur qui ab initio profusis precibus insti-
terunt, eoque obnixius quia nouerūt quod
dilectio vestra preces meas consueverit
exaudire. Preces igitur iterare compellit
iterata precatio, & me genibus vestræ cha-
ritatis aduoluit, ut hic se multiplicatis pre-
cibus vberioris remedium gratiæ gaudeat
inuenisse. Audiui etiam dominum Archi-
episcopum, & dominum Abrincensem
scripsisse pro eo, eosque culpæ quam con-
traxit clementer ignoscere, quia ad inqui-
sitionem vestram maluit humiliter confi-
teri quod fecerat, quam duplicita culpa
conscientiam suam obfuscare mendaciis,
aut de vestra misericordia desperare. Pre-
ces itaque precibus & consilio eorum cen-
sui fiducialiùs adiungendas, ut si maiestas
vestra admonitioni eorum duxerit obse-
quendum, mea quoque tantæ auctoritati
intercessio suffragetur.

SVMMA PRIVILEGII.

REgiæ Maiestatis priuilegio cautum est
Ioanni Richerio librario, ne quis alias
Arnulphi Episcopi Lexoniensis Epistolas, ante annos
sex impressionis absolutæ in suæ Majestatis re-
gionibus possit imprimere, alibi ve impressas in
easdem regiones importare, aut venales habere:
poena confiscationis librorum & alia illi qui
aduersus ea fecerit, indicta: quod latius videtur
est in Regio diplomate, dato Lutetiarum Parisio-
rum pridie Idus Aprilis: Anno salutis humanæ
cic 10 xxv. Et signato de Regij Consilij
sententia.

P O V S S E - M O T T E .